BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LVIJ
F
30
NAPOLI

LVII.
7.
30.


יְהֹוָה
EXALTABITUR SOLUS
FASTI DANICI.
Univerſam tempora computandi
rationem antiqvitus in DANIA
et Vicinis Regionibus
obſervatam
LIBRIS TRIBUS.
exhibentes:
Ex varÿs patriæ antiqvitatibus
et Autoribus fide dignis eruti,
ac in lucem emiſsi
iamq́ aucti ab
OLAO WORM. D.
Medicinæ in Acad. Hafn.
profeſsore publ.
CONTERENTUR
PENITUS
HAFNIÆ
Apud Ioachimum
Moltkenium Bibliopolam
ibidem primar.
Serenſs. Daniæ Norvegiæ … sculptor Simon de Pas sculpsit.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
Principi ac Domino

CHRISTIANO IV.

Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum Gothorumq; Regi, Duci Sleſvici, Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ, Comiti in Oldenburg & Delmenhorſt. &c.

Domino ſuo Clementiſſimo S.

DUM PRONO VULTU, MAJEſtati tuæ, Rex Sereniſsime, ſoſtra & σωτήρια ſolutura ſacra accedit Religio, Muſæ procumbunt Academicæ, Politicum firmatum ac ſtabilitum feſtinat Regimen, Indicis exoticisque mercibus locupletata accedit Mercatura; palatiis, urbibus, & propugnaculis decorata tota advolat Dania: imò terra ipſa tam pacato refocillata regimine, diu reconditos auri argentiq; coronæ tuæ effundit theſauros: unâ venerandæ antiquitatis Rudera patria, ſitu & ſqualore hactenꝰ obſita, & à cunctis ſpreta & neglecta, benignitatis tuæ ſereniori recreata aurâ. vota reliquis jungere, tuumq; ô Regum maxime, porrò implorare favorem, haud dubitant. Reliqua ſplendida, præclara, imò triumphos agentia dum vident: benignioris fati ſpe ſuſtentata, ad genua Majeſtatis tuæ opem petitura procumbere decreverunt. Verum enimverò in tanto Grajæ Latiæq; literaturæ, imò omnium diſciplinarum tuis ſub auſpiciis, in Septentrione ſplendore, ſordida, ſqualida, lacera, quin & Majorũ noſtrorum incuriâ dilaniata ferè, ſeveriorum hujus ævi Catonum cenſorias

metuunt virgas, ac in vulgus prodire verentur, n tuæ Majeſtatis illuſtrata ſerenitate, munita protectione, ſuſtentata robore, vires animumq; collegerint. De quibus dubitare ut nequeant, haſcé Faſtorum Danicorum expetitas reliquias, añi ſeriem temporaq; juxta decreta majorum noſtrorũ, computandi rationem exhibentes, noſtraq; operâ à ſitu & ſquallore erutas, ne deſpice. Quò benignitatis tuæ fulgore irradiata, metum deponant, melioriq; lucis uſurâ frui occipiant, quæ recondita adhuc latent, priſca virtutis Danicæ trophæa, Heroumq; in hiſce oris neglecta buſtorũ Rudera. Interea Deum Opt. Max. ſollicitis veneror precibus, dignetur Sereniſs. Regiam tuam Majeſtatem afflictæ ſuæ Eccleſiæ aſylum, Septentrionis clypeum fortiſsimum, veræ Religionis pietatisq; zelo, hoſtibus ſinceræ Chriſti gloriæ jam objectum, cæleſtis ſui exercitus agmine ſtipare, ſub umbra alarum ſuarum protegere, ac læta optataq; victoriâ clarum, ſalvum & incolumen ad nos reducere. Ut Regna hæc pietate tuâ firmata, nec hoſtiũ ferocientiũ reformident inſultus, nec tenebrionum callidè irrepentium metuant laqueos; ſed te excubante, Pietati & juſticiæ tranquilla prebeãt halcionia, ac æterno & immortali Regũ Regi pro tuâ incolumitate vota precesq; fundere haud unquam deſinant. Vale ac vive quã diutiſsimè, quam proſperrimè Rex Clementiſsime, Hafniæ Idib. Octobr. An. M.DC.XXVI.

Sereniſſ. Reg. Majeſt. T.
Subjectiſſ.

OLAUS WORM D
Med. Prof. P.

LECTORI SINCERO ET BENEVOLO S.

MIRABERE PROCUL DUBIO, Lector candide, quid me Medicis ſtudiis non ſolum innutritũ ſed & quotidianis moleſtiſſimæ, praxeos laboribus penè confectum, Academicisq; exercitiis abundè occupatum, eò impulerit, ut hæc à nemine hactenus tentata, ſed denſiſſimis vetuſtatis tenebris involuta eruere, & in conſpectum ſæculi literatiſſimi producere anniſus ſim. Præſertim cum res, quam hic tractamus, à noſtratium quamplurimis, non ſolum non magni fiat, ſed & deſpectui habeatur ac ad Ruſticos & Agricolas omnis humanioris literaturæ planè rudes jam amandetur ac detrudatur. Ne igitur temerè aut inconſultò ſolius ingenii (quod in me quàm ſit exiguum non ignoro) oſtentandi ſtudio id à me factum arbitrere; paucis conſilii mei rationes exponam.

A teneris peculiari quodam inſtinctu, ut patriæ antiquitates & neglecta ab aliis monumentorum rudera, literaturam priſcam, aliaq; majorum inſtituta, non ſolum inquirerem, ſed & intelligerem operam dedi ſedulam: unde factum ut varia hinc inde, partim ab Amicis, partim variorum locorum perluſtratione, ad hanc rem facientia conquiſiverim. Non quidem eo fine, ut in vulgus ea emittere, aut publici juris facere, ſed ut à gravioribus curis defeſſum animum iis recreare valerem. Nec deſtiti etiam apud Magnates, ubi ſermo de talibus inciderat, ſi quid ejus generis haberent expiſcari, & ut

a 3. vel

vel liberali animo, vel lege talionis repoſita communicarent, urgere. Donec tandem apud Virum, ut omnis prudentiæ politicæ, ita hiſtoriarum & antiquitatis Danicæ peritiſſimum, genere, inquam, factis & virtutibus nobiliſſimum Dominum CHRISTIANUM FRISIUM *de Kragerup, Regiæ Majeſt. Cancellarium Magnum, Equitem Auratum, Academiæ Regiæ quæ Hafniæ eſt Conſervatorem Summum; & horum ſtudiorum mentio incideret; quorum amore cum me flagrare animadvertiſſet, non ſolum liberali animo varia & rara in hoc genere, ex inſtructiſſimo ſuo theſauro promptiſſimè offerebat, ſed etiam ut de neglectis noſtræ gentis Faſtis peculiariter aliquid meditarer, ſeriò urgebat.*

Ego v. imbecillitatis meæ mihi conſcius, tàm laborum & negotiorum ordinariorum molem, quàm alia mihi domi nota prætendens, ab hoc onere, cui humeros meos impares futuros animadverti, excuſatum me futurum confidebam. Attamen pro innato patriæ amore, reiq; literariæ amplificandæ ſtudio, ſingula minora reddendo & documenta; operam, favorem & benevolentiam ſingularem offerendo, opus conſtanter urgere, utq; vel in hiſce vires periclitarer hortari non deſtitit Heros ille Nobiliſſimus. Haud exiguam ratus antiquitatibus patriis hacce allatura lucem. Cujus viri autoritatem negligere, benevolentiã reſpuere ſi ſuſtinuiſſem, næ plane ab omni ratione alienus viderer. Malui itaq; vel famæ potius jacturam ſubire, quam ejus monitis refractarius eſſe. Hujus igitur auſpiciis de Faſtis Danicis ea quæ hic vides, ex variis inſtrumentis huic negotio inſervientibus, antiquitatibus patriis, & autoribus fide dignis conſignavi: in

qui-

quibus non verborum ampullas; ſed rerum pondera, ſimplici ac veritati congruo ſtylo perſecutus ſum.

Rem verò ipſam quod attinet, ea etſi à quamplurimis nullius pretii eſſe putetur, & ad idiotas ferè amandetur ac detrudatur; altioribus tamen & firmioribus innititur fundamentis, quam ut à vulgo capi valeant: ſiquidem magnanimorum Imperatorum, peritiſſimorumq; Aſtrologorum, tam apud Ægyptios, quam Græcos & Romanos ingenia haud parum exercuerit. Ejus enim momenti negotium quod hic tractatur, omnium rectè ſentientium calculis exiſtit, ut ſine eo nec Reſpublica conſiſtere, nec commercia exercere, nec debitum DEO *ſervitium præſtare quis valeat. Temporum namq; computandi rationem ſi ſuſtuleris, quid ritè perages? quid de* DEO*, de ſacris, de contractibus, aliisq; infinitis ſincerè judicabis?*

Hæc autem apud quoſdam exactior, apud alios non ita accurata licet fuerit; à rudioribus tamen initiis apud omnes gentes paulatim ita crevit, ut tandem eam quâ jam conſpicitur adepta ſit formam. Quam lubricam, ineptam & impolitam Faſtorum ideam ante tempora Jul: Cæſaris obtinuerint Romani, eſt in propatulo; tanti tamen erat æſtimii, ut ſolis ſacerdotibus, inſtar magni ſecreti, inter ſacra maximè arcana reſervandi, ſit concredita, antequam à Cn. Flavio ſcribâ; invitis patribus, juris publici ſit facta, de quo lege Macrob. 1. Satur. Cap. 15.

A Majoribus noſtris non penitus neglectum hoc ſtudii genus ex relictis monumentorum fragmentis cum videamus, cur non id prodere, & ingenioſa eorum tentamina à ſitu, ſquallore & interitu vindicare liceret, ut in

Sep

Septentrione etiam qui ingenio certaverint extitiſſe vel exteri agnoſcant? Licet ſaltim id quod alii otio, alii compotationibus aliiſve ludicris tribuunt, huic negotio indulgere, iisq; quibus talia minus diſplicent, ſine invidiâ, prodeſſe. Si uſum alium hæc habitura non ſunt; ingeniis fortè politioribus anſam ſuppeditabunt relicta adhuc apud nos Cimbrorum & Danorum virtutis trophæa, à ſitu & ſquallore eruendi, & avidæ multorum exſpectationi ſatisfaciendi.

In Faſtorum ſpeciali enodatione, artificum in hoc genere, quamvis illiteratorum, decreta, relationes & ſtatuta prodidi, ac eâdem qua accepi fide reddidi: non quod ea in omnibus approbem, aut pro ratis lectori obtrudam: ſed ut, quæ etiamnum ſit multorum de hiſce judicium exponerem & tantum quisq; de iis caperet, quantum luberet. Nec enim omnium popularium opinionum ratio reddi poteſt, aut expeti. Priſcam ſimplicitatem in talibus admirari potius addecet, quam cavillari & optime cogitata in ſenſum deteriorem detorquere.

Argutias aut ſubtiles Philoſophorum disquiſitiones hic non exſpectabit Lector candidus: ſed rei neglectæ, utilis tamen & jucundæ, ſimplicem enarrationem & luculentis teſtibus confirmatam ſeriem. Quam ut æquo animo accipiat & in meliorem partem interpretetur rogo, donec erit qui & hæc, & alia hactenus neglecta & deſpectui habita, ſuæ dignitati & ſplendori, lautioris otii adjutus commoditate, reſtituat. Interim vale & conatibus fave.

INDEX

INDEX CAPITUM HORUM FASTORUM.

Libri Primi.

Caput.

1. Quid ad Faſtos excogitandos homines impulerit.
2. De Nomine & Etymologia Faſtorum Danicorum.
3. An Faſti qui in lignis conſignati extant, Baculi annales & Calendarii commodè vocari poſſint?
4. Quid Faſti Danici, & quibus potiſſimum conſtent.
5. Qua figurâ & formâ conſpiciantur hi Faſti.
6. De Origine & autore Faſtorum Danicorum.
7. Quando primum excogitati hi faſti.
8. Quænam fuerit idea Faſtorum Danicorum ante veri DEI cultum.
9. Quando veteres hi Faſti correcti & novis Feſtorum notis adaucti.
10. Quem in finem excogitati ſint hi Faſti.
11. De Anno Danico.
12. De Anni Danici exordio.
13. De Menſibus Danicis.
14. De menſium nominibus Danicis.
15. De Septimanis.
16. De diebus Danicis.
17. De diviſione ligneorum Faſtorum.
18. De Feſtorum ſignis.
19. De Cyclo Solari.
20. De Cyclo Lunari, ſeu Aureo numero.
21. De mobilium Feſtorum per Faſtos Danicos inventione.
22. De diebus atris ſeu infauſtis Græcorum & Ægyptiorum.
23. De Romanorum diebus atris & ominoſis.
24. De diebus atris Danorum & Gallorum.
25. Quid de atrorum aliorumque ejus generis dierum obſervationibus tenendum.

Libri Secundi.

Caput

1. De Faſtis Danicis in ſpecie.
2. De Faſtorum perfectorum genere primo.
3. De Faſtis ejusdem cenſus, ſed figuræ diverſæ.
4. De Faſtis perfectis ſecundi ordinis.
5. De tertii ordinis Faſtis perfectis.

b 6. De

6. De imperfectorum Faſtorum genere primo.
7. De Faſtorum imperfectorum genere altero.
8. De Faſtis reſtitutis, & ad ſæculum noſtrum accommodatis.
9. De Faſtorum reſtitutorum genere priori.
10. De Faſtorum reſtitutorum genere altero.

LIBRI TERTII.

Procemium.
Faſti Runici completi Antiqui.


Caput.

1. De Faſtorum completorum ſtructura.
2. De literis Runicis, quibus Faſti exarati.
3. De Numerorum notis & nominibus.
4. De Notis Dominicalibus.
5. De aliis quibusdam horum Faſtorum notis.
6. Vocabula quædam Danica exhibet, nobis jam minus familiaria.
7. Notæ in ea quæ de Feſtorum mobilium inventione tradunt hi Faſti.
8. Notæ in Chronologiam Faſtorum.
9. De Cyclo Paſchali.
10. De Amuletis contra Apoplexiam & Hydropem.
11. De recentioribus quibusdam Faſtis membraneis completis.

CATA-

CATALOGUS EORUM, QUORUM TESTIMONIIS IN hiſce Faſtis uſi ſumus.

Abbas Urspergenſis
Adamus Bremenſis.
Arngrimus Jonas
Arnoldus de villa nova.
Alexander ab Alexandro,
Andreas Sunonis-
D. Auguſtinus.
Atheneus.
Aventinus.
Beda.
Buchananus.
Bernhardus Pallisſy
Bartholomæus Anglicus.
Cœlius Rhodiginus.
Chriſtianus Cilicius.
D. Chryſoſtomus.
M. T. Cicero.
Chronicon vetus Rithmicus
Computi veteres,
Cornelius Agrippa.
Daniel Angelocrator.
Diſsertatio de Aureo Cornu.
Diodorus Siculus.
Dudo de S. Quintino.
Elnottus.
Ethelwerdus.
Euſebius.
Faſti lignei varii.
Garcejus.
Gellius.
Georgius Lilius.
Gerardus voſſius.
Gotfridus Viterbienſis.
Gvilielmus Lambardus.
Helmodus.
Henricus Ranzovius.
Henricus Spelman.
Hermannus Lignaridus.
Heſiodus
Hippocrates.
Hiſtoria Olai Tryggonis M.S.
Horatius Augenius.
Hiſtoria Norvagica.
Joan. Aventinus.
Joan. Buchlerus.
Joan. Bureus.
Joan. Baptiſta Pius.
Johan. Iſacus Pontanus.
Johan Lyſcander.
Joan. Seldenus.
Joan. Vaſtovius
Joan. Meurſius.
Joan Magnus.
Jornandes.
Joſeph Scaliger.
Lactantius.
Leges Edoardi Regis.
Legum codices varii.
Lilius Gregorius Gyraldus.
T. Livius.
Lipſius.
Literatura Runica.
Lucanus.
Macrobius.
Malmesburienſis.
Manuſcripta varia.
Marcellus Empyricus.
B. Mantuanus.
Monumenta Danica
Moſes.
Mizaldus.
Nicol. Mullerius.
Olaus Magnus
Oroſius.
Ovidius.
D. Paulus.
Paulus Diaconus.
Paulus warnefridus
Plato.
Plinius.
Pomponius Mela.
Richardus verſtegan Anglus.
Rogerius Bacco.
Saxo Grammaticus.
Sextus Aurelius.
Simplicius.
Spangebergius.
Stephanus Bizantinus.
Stephanus Guiſcardus.
Stephanus Stephanius
Strabo.
Svetonius.
Sulpitius Verulanus.
Tacitus.
Verrius Flaccus.
Virgilius Maro.
wilhelmus Cambdenus.



Externam, WORMI, tibi ſculpsit jmaginis umbram,
Sed mentem Glyptes sculpere non potuit.
Nec decuit, Cur non quæris? Dicam. Qvia doctâ
Tu melius Glypte hanc exprimis ipse manu.
Hæc docet et Medicum te Philosophumq; vocari:
Hac primus Danos TEMPORA priſca doces.

Sereniſs. Daniæ, Norvegiæ etc. Regis sculptor Simon de Pas sculpsit. | M. Iohannes Eraſmus Phyſ. prof. F.

Ad Excellentiſſimum Virum,

Dn. Doctorem

OLAUM WORMIUM

IN REGIA ACADEMIA HAFNIENSI

Medicinæ Profeſſorem ordinarium

Faſtorum Danicorum

conditorem.

MOrborum terror, *VVORMI:* domitorq; minacis

Languoris: Medicæ gloria magna Scholæ:

Nominis extendis famam, & præclara trophæa

Erigis, haud ullo corruitura die.

Nil eſt, Pæonias docuiſſe fideliter artes,

Felici & morbos edomuiſſe manu.

Transgrederis leges hominum & mortalia jura,

Imperio ſubdens Tempora quæq; tuo.

Nam dum Danorum ignotos menſesq; diesq;

Ingenii illuſtras ſplendidiore face:

Et vitâ donas faſtorum emortua membra:

Submittunt faſces tempora quæq; ſuos.

CASP. ERASM. BROCHMAND, D.
S. S. Theol. in Acad. Hafn.
Prof. Ordinar.

Ad Clariſs^um & Excell^um Virum,

Dn. Doct.

OLAUM WORMIUM

MEDIC. IN ACAD. REGIA HAFNIENSI PROFESSOREM ordinarium,

ANTIQUITATUM DANICARUM

inveſtigatorem indefeſſum, Collegam, affinem, & fratrem optatiſs^m.

AN barbarorum eſt hæcce mentis aſcia,
VVORMI, ſeris niſu inſolente ut publicè,
Noviſſe temporum viciſsitudines
Curatè & inſculpſiſſe fago ſingulas?
Noſtram ergo quondam barbaram qui gentem ait,
Is barbarorum barbariſsimus omnium.

CASP. BARTHOLINUS D. & P. P.

Excellentiſſimi Viri

D. OLAI WORMII

Medicinæ in Academiâ Hafnienſi
Profeſſoris P.

Collegæ, Affinis & Fautoris ſui magni.

AUſus ô magnos, WORMI! queîs abdita pandis
Et penetras altè, quæ latuére diu.
Paucis jam noviſſe datum, queîs claruit ætas
Illa prior Danûm, Maſcula namque nimis.
Quæq; harum, pauci nôrunt, veſtigia rerum,
Abdidit hæc longo multa litura die.
Quis curſus Solis & Lunæ revolutio qualis,
Et reliqui cœli Dania gnara fuit,
Singula quæ nôrat duris inſculpere lignis
Tempora, quæ certis edidit illa notis.
Talia jam multo neſcivit tempore Danus.
Nec ſua plus novit, quàm qui aliena videt.
Antiquam nobis ſed Danis reſtituis rem
Ut ſciat hæc ætas; quæ ſcijt illa prior.
Et nova nunc DANIS reduntur lumina FASTIS,
Per te qui veteres diſcutiunt tenebras.
Non igitur te ſola ſuum Medicina parentem
Dicet; ſed quoque te tempora quæque ſuum.

M. JOHANNES ERASMI B.
Profeſſ. Phyſices P. in Academiâ Hafnienſi.

AD

AD CLARISS. ET EXPERIENTISSIMUM VIRUM, Dn. D. OLAUM WORMIUM Libri authorem.

ᚠᛅᛋᛅᛂRᚢᛘ BRIᛘᚢᛋ RᛂᛘᛅᚼIᛋ ᛘᛚᛅᚠIᚢᛋ ᛅᚢᛏᛡᛂR
ᚠᚢᛂᚦ ᚠᚢᛁRᛅᛏ, ᚦIᚠᚴᚢᛋ BRᛅᛂᛘIᛅ ᚦIᚠᚴᛅ ᛏᚢᛚᛏ.
ᛏRIBᚢᚴI ᛁᛋᛏ BᛚᛁBIᛋ BRIᛘᚢᛘ ᚦ'ᛂRᛅᛏᚢᛋ ᛡᛂᚼᛂRᛁ;
ᛅᛁᚦIᛚ ᚦᛁᛘᚢᛘ ᛘᚢᚦᛁRᛁ 'ᛚᛅRᚢᛋ ᛁRᛅᛏ.
ᚢᛂRᛘI, ᚠᚢᛂᚦ BRIᛋ'ᛂᛋ Iᛅᛘ 'ᛁRᚴᛅᛏ ᚦᛅᚼIᛅ ᚠᛅᛋᛅᛂᛋ,
ᚠᚢIᚦ 'ᚢRIᛋ 'RᛁᚠᛁRᛅᛅ, ᛅᛘBIᚠIᛅ Iᛚᛚᛅ, ᛅᚢIᛋ.
BᛂᛁᛂᚼIᛅ IᛘᛘᛂRᛅᛅᛚᛁ TIBI ᚴᛂᛘᛁᚴ ᚦᛁᚦIᛅ ᛅRᛋ, ᛋᛁᚦ
ᚠᛅᛋᛅᛂRᚢᛘ ᛁᛋᛅ, ᚠᛅᛋᛅIᛋ ᚠᚢᛂᚦ ᛁᛚᛁBRᛅᚴᚦᚢᛋ ᛁRIᛋ.

M. TOBERNUS JACOBI HASEBARDUS.
Eccleſiaſtes Zandenſis.

ALIUD.

MActe animo, patriam quo tu dignaris honore,
Inclyte, jam, WORMI, dædala ſcripta probant.
Non ſatis, innumeros, alio ſub Sole tenere
Dogmata, qua luci multa ſubinde dabas.
Non ſatis eſt, patulis, avidi, de faucibus, orci
Semineces medicâ ſurripuiſſe manu.
Non ſatis eſt, Muſis operatam, voce juventam
Facundâ, ad glaucæ, ducere templa Deæ.
Sed quæ, fluxu. diu nobis ſubtraxerat ætas
Hæc tua, ne pereant, reddere cura ſtudet.
Dum reſeras Faſtos quibus olim Cimbrica proles
Præſertim ſeclis, uſa fuit, rudibus.
Ac monſtras, quali digeſſerit ordine Soles,
Lunaiq; vices, ætheris atq; rotam.
Scilicet; huic, variis, à parte notatur utraq;,
Lineolis; radius ſideris inſtar erat.
Illius, hac; ductu, rerum momenta putabat,
Officiiq;, dies, qua foret apta, ſuis.
Tempora qua meſſor, qua curvus arator haberet,
Hoc, quibat parvus, indice, ſcire, puer.
Hoc opus, ut cunctis non promptum eſt poſſe placere,
Vilia, ſic tantum, ſpernere, corda velint.
Queîs verò potior tinxit præcordia ſuccus,
Laudibus omnigenis ſemper in aſtra ferent.

M. STEPHANUS JOHANNIS F, Stephanius.

FASTORUM DANICORUM LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Qvid ad faſtos excogitandos homines impulerit.

Cur inventi ſint Faſti.

MEMORIÆ HUMANÆ IN TEMPOrum viciſsitudinibus obſervandis, annorumq; curriculis computandis quotquot experti ſunt labilitatem, ei variis excogitatis præſidiis, ſtudio ſubvenire conati ſunt ſummo, probè animadvertentes:

Ὡς ἡμέρα κλίνει τε κἀνάγει πάλιν
Ἅπαντα τ' ἀνθρώπεια.

Romanorum Faſti aerei.

Huic itaq; morbo remedia quærere coacti, quidam tabulis æreis, quidam lapideis, quidam membranis, ac vaſtis voluminibus annorum ſeriem, menſium & dierum harmoniam complexi, tantæ imbecillitati obviam, quâ fieri potuit, ivêre diligentiâ. Romani quidem etſi à Julio Cæſare anni formam accepiſſent commodam, quæque ob ſummam utilitatem etiamnum magnis celebratur encomiis, intemeratam tamen eam retinere non potuerunt, antequam Auguſtus Cæſar ſacerdotum memoriæ æreis tabulis ſuccurrens, veram anni formam æternitati conſecraret. Quâ de re Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 14. ſic diſſerit. *Auguſtus qui annos duodecim ſine intercalari die tranſigi juſſit, ut illi tres qui per annos triginta & ſex vitio ſacerdotalis feſtinationis excreverant ſequentibus annis duodecim, nullo die intercalato devorarent poſt hoc unum diem ſecundum ordinationem Cæſaris quinto quoq; anno intercalari juſſit, & omnem hunc ordinem æreæ tabulæ, ad æternam cuſtodiam inciſione mandavit.*

Danorũ lignei patriſ.

Dani nullis ingenio cedentes, totiusq; ſeptentrionis alia-

rumq́; orbis partium per vices Domini, cum ut imperio, ita linguâ (atteſtantibus id variarum gentium monumentis indubitatis) ad polum usq́; arcticum populos ſibi ſubjectos tenerent, commoditati & privato cujusq́; conſulentes uſui, ligna potiſsimum & membranas ſeligebant, oſſa quoq́; quibus ut ſumptibus exiguis, ita operâ minus moleſta annorum rationem rudioribus inculcarent.

Literæ Runicæ. Notis v. id potiſsimum perficiebant ſuis, id eſt *Runicis* aliisq́; figuris inſtituto inſervientibus. Veteres namq́; Dani literas ſuas figurarum ductibus ab omnibus aliis diſcrepantes olim *Runas* vocarunt, easq́; duum generum potiſsimum tenuerunt. Alteras quibus ad res geſtas conſignandas, animiq́; *Duum ge-* [illegible] ſenſa exprimenda communiter uſi ſunt literati: alteras quibus Magi in incantationibus & præſtigiis ſuis abutebantur. Quarum tanta erat vis & poteſtas, ut iis hoſtes necare, urſos ligare, grandines concitare, imbres ciere, homines dementare, aliaq́; incredibilia perpetrare valerent, non ſecus ac anus illa Virgiliana quæ:

Carminibus poterat cœlo deducere Lunam.

Runer. Ut illas *Runer*, ita has ad majorem diſtinctionem *Ram-Runer* ſeu *Runas amaras vel acerbas* ex effectis vocitarunt, quod in *Ram Runer.* perniciem aliorum plærumque earum cederet abuſus. Vel quod validæ & efficaces ſint Runæ: *Ramur* enim eſt robuſtus validus, hinc *Ramskygn* qui acri viſu prævalet, ut etiam larvas ac lemures videat, *Siunsk* modernis: quamvis quidam velint *Rammur* per M. duplicatum, ad guſtum referri, & idem eſſe quod amarus, acerbus. Hinc factum, ut non ſecus ac Romani Literatores & Literatos à literis deduxerunt, Dani eos qui Runis erant inſtructi, quiq́; rerum naturalium inquiſitioni & Aſtronomiæ, imò Magiæ incumbebant, *Runer*, vel à muneris *Adel Runer.* præſtantia *Adel Runer* indigitarent. Quorum munus præcipuum erat; viris præclaris monumenta erigere, epitaphia benè meritis ponere, aliaq́; Literatorum & ſacerdotum munia obire. Quamquam ut viri hoc in genere præſtantes *Runer*, ita fœminæ iisdem illuſtres *Adel Runer* maximâ ex parte ſint appellatæ: quod nomen ſcriptores & hiſtorici exteri etymo-

logiæ ignari, variis modis corruperunt, eas *Alrunas, Alurinias, Aliorumnas, & Aliorunas* vocando. Vide quæ fuſius hac de re diſſeruimus, in Literatura Runica.

CAPUT SECUNDUM.

De nomine & etymologia Faſtorum Danicorum.

CÆterum Faſtos ipſos quod attinet, Runicis literis, à majoribus noſtris, ligneis inſtrumentis impreſſos, eos aptâ ſatis nomenclatione *Rimſtocke* vulgò vocarunt. *Rim* etenim quamvis noſtrô ſeculo Verſus ſeu Carmina notet Danis, & Iſlandis plures Rithmi xx, x' xx, L x nomine collectivo ſingulariter *Rima* dicantur, cujus plurale *Rimur*: antiquitus tamen Calendariũ cui anni decurſus, menſum tenor, dierumq; ordo eſſet commendatus deſignabat. Cujus rei mihi teſtis eſt membrana perantiqua, in quâ elegantiſsimis Runicis, Calendarium Julianum cum aliis nonnullis erat deſcriptum, in cujus fine hæc lego: *Rimſtoke* *Rim.*

ᛆᛐᛐ. ᚦᚢᛋᛆᚿᛐ. ᛆᚱ. ᚮᚴ. ᚦᚱᚢ- *Att duſant ar og drybun-*
ᚼᚢᚿᛑᚱᛆᚦ. ᛆᚱᛆ. ᚮᚴ. ᛐᛁᚢ- *drat ara, og tiuhu ar. og*
ᚼᚢ. ᛆᚱ. ᚮᚴ. ᛆᛐᛐ. ᛆᚱ. ᚢᛆᚱᚢ. *ata ar varu liden af Gus*
ᛚᛁᚦᛁᚿ. ᛆᚠ. ᚴᚢᛋ. ᛒᚢᚱᚦ. ᚦᛆ. ᛂᚿ. *byrd da en ditta Rim var*
ᚦᛁᛐᛐᛆ. ᚱᛁᛘ. ᚢᛆᚱ. ᛋᚴᚱᛁᚠᛆᛐ. *ſkrivat.*

Mille trecenti viginti octo anni elapſi erant à Nativitate Chriſti cum hi Faſti literis mandarentur.

Confirmat idem linguæ Iſlandicæ modernus uſus: in quo etiamnum error in Calendario commiſſus *Rimſpiol*, item *Rimſpillir* vocatur.

Stock verò additum, ut materia ex quâ fieri conſvevere, ob oculos poſita, figuræ varietatem tacitè ſimul innueret. Cum enim lignis inſculpti eſſent plærique qui ejus generis extant Faſti, pro ſculptoris arbitrio varias induunt figuras, quod comodè ſatis generali hac voce noſtrates expreſſerunt, quam uſus ad alios in membranis exaratos tandem tranſtulit. *Stok.*

Aliàs & *PRIMSTAF* vocantur: quam appellationem Norvagi, qui hoc genus faſtorum à Danis acceperunt, ſibi fami- *Primſtaf*

Prim. milliarem fecerunt. A *Prim*, quod ſpeciali ſuo ſignificatu Cyclum Lunarem indicat, qui in hiſce potiores ſibi vendicat partes. Quinimo & hoc ſenſu, *Lunæ primationem* in præfatione Aeromantiæ Mizaldi præfixa legiſſe me memini. Idque ex membranâ jam citatâ clarè ſatis elucet, ſic enim illa:

ᚦᛆ. ᚢᛆᚱ. ᚦ. ᛆᚴ. ᚢ. ᛋᚢᚿᚿᚢ- *Da var* þ *oc* ᚢ *sunnudahr*
ᛑᛆᚼᚱ. ᛆᚴ. ᚼ. ᛁ. ᛋᛁᛆᚢᚿᛑᚢ. og XVIII *in siaundu radu i*
ᚱᛆᚦᚢ. ᛁ. ᛐᛆᚠᛚᚢᚿᚿᛁ. ᛒᚱᛁᛘ. *taflunni Prim.*

Tum þ & ᚢ Dominicales erant (ſc. notæ) XVIII. verò in ſeptimo tabulæ (cycli Lunaris) ordine, Numerus aureus.

Ex ampliori hujus vocis ambitu, etiamnum apud nos ex-*at prime.* tat verbum *at prime*, id eſt aliquid meditari aut eloqui, quod ſit præter exſpectationem, vel ex datis indiciis de futuris aliquid conjectari: quod forſan antiquitus ſtrictius capiebatur, pro arte per aureos numeros Lunæ motus inveſtigandi, quæ quia ignorantibus mira videbatur, ad alia inexſpectata uſus tranſtulit.

Islandis *Prim* non cyclum illum aureis conſtantem numeris, nec hujus partes ſingulas, ſed ipſum Novilunium, vel novam & primam Lunam denotare, ad me perſcripſit doctiſſimus Arngrimus Jonas Eccleſiarum Borealium ejus loci inſpector meritiſſimus. Idq; variis confirmat loquendi formulis & autoritatibus. Dicunt enim *Þad ſlendur nu à prime.* Nunc eſt hora vel momentum Novilunii. Item Rithmo quodam:

Være ſu ſlund, ad ſlædi à prim, med ſtraumi godum. Indicat Poëta novilunia (à quibus etiam marinæ inundationes pendent *Straum*) fœcundiora eſſe, ad carmen condendum quam alias Lunæ mutationes. Eſt igitur *Prim* Islandis idem quod Danis *Ny*. Sic & Mabils Rymur:

Piind er ſu hin pruda mær
Med prime huorju verdur ær.

Rithmus eſt de virgine quadam, miſerè affecta & ſingulis Noviluniis in furorem acta: qui morbus à noviluniis cauſabatur. Addit Arngrimus: Nec ullum mihi dubium *Prim* à prima Luna dici. Etiam *Prim* nobis dicitur *kuecking*: incenſio

ſio Lunæ, *Elldur lioſit* (ignis lumen vel lucerna) *Tunglid kuiknar* id eſt inceenditur. Item *Nu ſpringur Tungl ut* pro eodem.

Staf verò, baculum aut ſcipionem cui quis inniti valeat, indicat. Sic igitur iis dicti hi Faſti, qvod in ſcipionibus ſuis inſculptos, maximâ ex parte, geſtare ſoleant Ruſtici. Alioquin & *Staf* antiquitus literam indicabat, unde Islandis etiamnum *Primſtaf* idem eſt quod litera novilunii index. *ſtafquid*

Ego *Faſtos Danicos* hic vocabo, tùm quod à Danis inventi & ad vicinas gentes propagati, ac noſtratibus eundem uſum præbeant, quem Romanis ſui, ſive in membranis, ſive in aliis rebus exarati: tùm quod obſervaverim ligna quibus quidam eorum inſculpuntur, varias figuras pro ſculptoris arbitrio obtinere, ut non ſolum baculos aut ſcipiones referant; ſed etiam orbes, quadratas & oblongas laminas, aliaq́; ejus generis, de quibus in ſequentibus pluribus agendum. Quinam verò & quales fuerint Romanorum Faſti ex quibus hanc appellationem mutuati ſumus conſtat ex Svetonio in Cæſare, ubi ſic inquit: *Faſtos correxit jam pridem vitio Pontificum per intercalandi licentiam adeò turbatos, ut neq́ meſſium feriæ æſtati, neq́ vindemiarum autumno competerent: Annumq́ ad curſum Solis accommodavit, ut CCCLXV dierum eſſet, & intercalari menſe ſublato, unus dies quarto quoq́ anno intercalaretur.* Ad recentiores reſpexit Nicolaus Turius in commentariolo Annalium Herulorum litera F, cum ait. *Faſti ſunt libri in quibus nomina Sanctorum ſcribuntur. At Faſtis Divorum aſcribi eſt in numerum Divorum referri.* *Cur Faſti Danici dicantur* *Faſti Romani.*

Græcis ἡμερολόγια dicuntur, teſte Scaligero in Feſto. De Chriſtianorum Faſtis loquitur Tertulianus lib. de coron. militum. *Habes tuos cenſus, tuos Faſtos, nihil tibi cum gaudiis ſeculi.* Nec commodè *Kalendaria* dici poſſe conſtat ei qui novit Kalendarium proprie dici librum pecuniæ in fœnore poſitæ. Solebant enim in Kalendis fænerari. Hinc illud Martialis. *Kalendaria.*

Centum explicentur paginæ Kalendarum

Et Seneca in Epiſtolis.

Divitem illum putas quia magnus ei Kalendarii liber volvitur.

Ovid. II. de Rem. Amor.

Qui puteal, Ianumq́ timent, celeresq́ Kalendas
Torqueat hunc æris, mutua ſumma ſui.

Almanach unde dictũ. Vulgò *Almanach* vocare ſolent, cujus vocis etymon hoc reddit Richardus Verſtegan Anglicarum antiquitatum capite tertio, de Saxonibus loquens: *They uſed to engrave upon certaine ſquared ſticks about a foot in length, or ſhorter or longer as they pleaſed, the courſes of the Moones of the whole yeere whereby they could alwajes certainely tell when the new Moones, full Moones, en changes ſhould happen, as alſo their feſtival dajes. En ſuch a carved ſticke the callid an AL-MON-AGHT, thatis to ſay, AL-mon-heed, to wit, the regard or obſervation of all the Moones, en heere hence is derived the name of ALMANAC.* Id eſt: Solebant baculo pedali circiter, quandoq; majori, quandoq; minori, curſum Lunæ totius anni incidere, ac hujus beneficio exactè computare norant Novilunia, plenilunia, reliquasq; ejus aſtri mutationes, diesq; feſtos. Hos baculos vocabant AL-MON-AGHT, id eſt omnium curam, quæ ſcilicet conſiſtebat in obſervatione mutationis Lunaris. Hinc derivata vox *Almanac.* Sed hujus vocis & derivationis veſtigia nulla protſus apud veteres noſtros invenio. Ex Arabum & Ebræorũ familia tractam hanc vocem, ſunt qui probabilius doceant. Particulâ enim Arabica *Al* compoſita cum Hebreo מנה quod numerare notat, hanc vocem conſtituit, quæ omnium Lunarum totius anni numerationem ſeu obſevationem notat. מני quoq; Lunam & numerum deſignat, unde Græcorum *μήνη* & noſtrum *Mane:* ut vel ex vocis notatione conſtet *Almanac* nil aliud eſſe quam dierum ac Lunationum totius anni calculũ ſeu numerum. Vide Stephanum Guiſcardum in Harmonia etymologica.

Cur Danici. *Danicos* dum dico, nequaquam Cimbros & Gothos ſeu Getas excluſos cupio. *Dania ãtiquitus in tria principalia diviſa* Antiquitus enim, quod Danicum jam vocatur imperium, in tria principalia erat diſcretum Arctoi orbis regna: Cismarinum ſc. quod Cimbricum erat; Intermarinum quod Baltheum ſeu Danicum, & Transmarinum quod Gothicum dicebatur, quorum ſin-

ſingula ſuos imperio ſegregatos obtinebant Reges. Sed fatali rerum viciſsitudine, variis intervenientibus affinitatibus & præliis, tandem in unam gentem unius Regis imperium agnoſcentem coaluerunt. Ita quidem ut Danicum ſeu Danicum nomen reliqua abſorpſerit, & ſub ſe jam contineat, licet per vices antea unum alteri ſit prælatum. Hinc videre licet res ab omnibus conjunctim geſtas à Græcis, Getis & Cimbris attribui, à Latinis Cimbris & Dacis. Ex quo fundamento de rebus Danicis variis in locis eruditè diſſerit Johannes Aventinus in ſuâ hiſtoriâ Bojaricâ, inter reliqua fol. 35. edit Baſil. hæc habet: *Cimbrorum partes ſunt Dani, Scandia, Selandia, Scandinavia, ubi Nordovici & Normandi, Sviones qui & Sveſii & Svedi, Fenni, Gothi, ab his ſinus Godanus nomen habet, Græci Getas, Latini Dacos vocare ſolent.* Et folio ſequenti: *Secundus Dux Dacus qui & Danus, condidit Danos, quorum Rex nominatiſsimus eſt in tota Germania, & Latinè vocatur Rex Dacorum, qui nobis eſt Danorum: veteres Græci & Latini Cimbros Cimmeriosq́; appellarunt. Ita Strabo, Diodorus Siculus, Stephanus Bizantinus teſtantur.* Danici igitur dicuntur Faſti noſtri, quod his in oris excogitati, magisq́; in uſu ſemper fuerint, noſtrisq́; literis & characteribus conſignati extiterint.

Regna. Quomodo in unum coaluerint.

CAPUT TERTIUM.

An Faſti qui in lignis conſignati extant, Baculi annales & Calendarii, commodè vocari poſsint?

RErum Sveticarum commentator Olaus Magnus hiſtoriæ Septentrionalis Lib. 16. cap. 20. *Baculos annales ſeu Calendarios* eos vocat Faſtos, quos lignis impreſsit vetuſtas, dum ita de iis diſſerit: *Habent nihilominus Baculos annales ſeu Calendarios pro geſtamine manuum, quibus docent, diſputant, interrogant, & concludunt Lunares conjunctiones & oppoſitiones decurſus, feſta mobilia ac fixa, pariter & ſigna dierum infallibili experientia, quaſi è libro declarata legerent exponuntur & interpretantur.*

Baculi annales.

Cur

Cur autem ita eos vocet, quamq́; habeat etymologiæ ſuæ rationem Lib. 1 cap. 24. hiſce declarat: *Vetuſta gentis conſvetudine baculis hiſce rurales Eccleſias viſitando, in prolixis itineribus Laici ſe ſuſtentant, atq́; pariter convenientes certis adductis rationibus veriores venturi anni judicant qualitates, quam forſan alii ſpeculativis ſcientiis, aut præſtigioſis prognoſticationibus inhærentes.* Hæc ille.

Non rectè vocari baculos. Verum enim vero cum non in ſolis baculis aut ſcipionibus talibus, quibus ad ſuſtentandum corpus quis uti poſſet, hi faſti conſignati reperiantur; ſed in aſſeribus oblongis, rotundis, quadratis, imo pluribus ligulaceis clavo invicem connexis, ut ad oculum poſtea oſtendetur, baculi nomen omnibus omninò competere nequaquam poteſt. Quocirca licet à potiori denominatio facta videatur, nimis tamen anguſtis vocum limitibus res tam ampla conſtringitur. Nec vulgi conſvetudo virum qui inter literatos haud poſtremo loco haberi voluit, excuſare poteſt; cum & vernaculas plebis appellationes adducere potuiſſet, & ex ſuâ ſententiâ quid rei & veritati congruum oſtendere.

Non rectè vocari Annales. Sed demus, apud Svecos ſaltim in ejusmodi baculis Faſtos ſculptos extitiſſe, vel de bacularibus tantum eum loqui: peſsimè nihilominus voce *Annalium* eum abuti pro Calendariis aut Faſtis nemo negabit. Pro ſolis namq́; hiſtoriis in quibus annorum ſeries obſervatur propriè ſumitur. *Annales quid.* Sic enim Gellius lib. 5. Noct. Attic. *Nos audire ſoliti ſumus, Annales omnino id eſſe quod hiſtoriæ ſint; hiſtorias non omnino eſſe id quod Annales ſint.* Id verò quomodo capiendum, *Hiſtoria.* mox exponit: *Hiſtorias quidem eſſe ajunt rerum geſtarum expoſitionem, vel demonſtrationem, vel quo alio nomine id dicendum eſt:* *Annales.* *Annales verò eſſe, cùm res geſtæ plurium annorum, obſervato cujusq́; anni ordine, deinceps componuntur, cum verò non per Annos, ſed per dies ſingulos res geſtæ ſcribuntur, ea hiſtoria græco vocabulo ἐφημερὶς dicitur.* *ἐφημερὶς.* Hactenus Gellius, cujus verba ſi legiſſet Olaus, in nominibus imponendis cautior fuiſſet, nec craſsè adeò impegiſſet. Hinc etiam *Annales Maximi* dicebantur à

Pon-

Pontificibus Maximis facti; quibus data poteſtas erat memoriam rerum geſtarum in tabulas referendi.

Quod ſi quis adjectivè heic ſumptum arbitratur vocem *Annalis*, pro eo quod ad annum ſpectat, nequaquam tamen aptam ſatis adduxerit excuſationem. Cum baculi aut Faſti nihil plane, ad annũ pertineant, ſiquidẽ neq; de ejus ſint eſſentia, neq; ex accidentibus ullum, ſed purum putum artificiale inſtrumentum, Naturalis anni ideam repræſentans. *Annale* quidem *tempus* apud Varronem legimus: ſed ipſum annuum notat ſpacium. *Legem* quoq; *annalem* apud Ciceronem de Legibus: ſed ætatem illa & annorum numerum perſcribebat (ut Faſti noſtri dierum annum complentium) quo abſoluto Magiſtratus ambiri potuit. Potius igitur hoc ſenſu *baculos diales* vocaſſet. Sed nominibus relictis, rem ipſam ut ſpeculemur, magis inſtituto noſtro congruum videbitur. *Annalis quid.*

CAPUT QUARTUM.

Quid Faſti Danici, & quibus potiſſimum conſtent.

Ad ruſticum ſeniorem aut alicujus in pago pretii, illiteratum tamen, in Daniâ ſi divertaris, rarum erit, ſi diligenti factâ perluſtratione, ad menſæ caput, aut trabium ſumma, lignum planum, oblongum, aut alterius figuræ non offenderis, variis characteribus, quos magicos jurares, inſignitum. Hic ſi ex eo quæras quid hoc rei ſit? Reſpondebit, Faſtos eſſe, ſeu *Rimſtock*, quibus ad tempora anni diſcernenda, dies operi idoneos inveniendos, reliquasq; Agricolæ obſervatu neceſſarias tempeſtates prædicendas utatur. Et quidem rectè. Hi etenim *Faſti Inſtrumenta ſunt ex varia materia affabrè elaborata, feſtorum immobilium præcipuorum, literarum dominicalium, & aurei numeri conſignationem continentia, ut ex iis anni circumvolutionem, temporum viciſſitudines, Lunæ Φάσεις aliaq; vitæ communi neceſſaria rudiores colligant.* Hiſce limitibus faſtos quales jam reperiuntur commodè circumſcribi poſſe autumo, de aliis namq; qui ante veri Dei cultum in hiſce regionibus extiterunt (de *Ubi Faſtos conſervare ſolebant.* *Quid Faſti Danici*

quibus ex profeſſo agere, noſtri non eſt inſtituti) in ſequentibus aliquid dicendi locus erit commodior.

Cur dicantur Inſtrumenta. Hos autem, de quibus jam agere decrevimus, non immerito *inſtrumenta* diximus, iis enim non ſecus ad opera mentis circa annorum & dierum computationem utuntur Ruſtici, ac ligone aut raſtro ad terræ culturam, eaque quæ manibus perficiuntur.

Lignea quamvis extiterit maxima pars eorum quos exhibemus, attamen & oſsibus tam oblongis, quam teſſellatim ſectis & colligatis inſculptos vidimus, imo & maxillis piſcium majorum inſcriptos ad oculum petentibus demonſtrare poſſumus. De membranis Runicis, aliisq; alterius generis nobis jam non eſt ſermo. Nec certum aliquod ligni genus his deputarunt, occurrunt enim quercina, pirina, buxea, tiliacea, aliaq; ejus generis quamplurima.

Ex quibus conſtent notis. Ut verò hi faſti debitum poſſeſſori præſtarent officium, ex tribus principalibus notarum eos conflarunt ſeriebus, Feſtorum ſcilicet principalium, literarum dominicalium & aureorum numerorum; quibus ſcopum ſuum principalem aſſeqvuntur. Non tamen diſsimulandum in quibusdam alia

Faſtorũ partes minus principales. quædam extare utilia, licet minus principalia, cujus generis ſunt, dierum ad opera minus fauſtorum, profeſtorum, operum ſtatis anni temporibus peragendorum, Encœniorum, aliorumq; ejus generis notæ, quæ vel claſsi feſtorum inſculpuntur, vel clavo æreo aut ſtanneo literis Dominicalibus infixo, vel literæ unius inverſione indicantur. Hæc autem cum non in omnibus ejusdem ſint generis, ſed pro locorum diverſitate variè mutentur, & in multis, vel penitus, vel magnâ ex parte omittantur, pro minus principalibus reputantur; ita tamen ut non exiguum ornamentum cum uſu inſigni conjunctum Faſtis hiſce adferant.

CAPUT QUINTUM.

Quâ formâ ac figurâ conſpiciantur hi Faſti.

INteriorem formam eorum qui ad nos ſunt propagati, ſi conſideraverimus, cuivis diligentius eos intuenti in propatulo

tulo erit, eam in Juliani Calendarii ſerie conſiſtere: Hæc e- nim primo horum Autori ac ſculprori adeò arriſit, ut juxta ejus normam ſingula diſponeret. Nec immerito, præterquam etenim, quod eâ tum temporis commodior nulla extiterit, à diligentiſsimis aſtrorum peritis, ob inſignem in negotiis tàm Eccleſiaſticis quàm politicis tractandis commoditatem (licet alioquin nævis ſuis non deſtituatur) haud frigidè commendari videmus. Ut taceam ita conſtitutam eſſe, ut imperitorum inſcitiæ optimè proſpicere, ac tempora agriculturæ idonea nullo negotio exhibere, perturbationisq; faſtidium levare valeat. *In Faſtis modernis eſt Calendarium Julianũ.*

Exterior verò eorum facies & figura cuivis in oculos incurrit, nec enim una eademq; eſt, ſed pro artificis arbitrio varietatem (ut ſupra diximus) acquirit. Cernere enim licet oblongos & planos, quadratos & planos, circulares, hexagonos & pluribus lamellis clavo ferreo in extremitatum altero ita connexis, ut commodè circumvolvi poſſint conſtantes; baculares quoq; quos omnes recenſere & operoſum & minus neceſſarium foret, præſertim cum principalium paradigmata ſuo loco ſimus exhibituri. *Figuræ Faſtorũ.*

CAPUT SEXTUM.

De origine & Autore Faſtorum Danicorum.

IN hoc negotio ſi minus curioſo lectori ſatisfecero, veniam dabit ſpero, cum diligentiores qui ante aliquot ſecula ſe talium inquiſitioni conſecrarunt, & hæc & alia multa fugerint. Cauſam dudum ſubodoratus eſt Saxo noſter, dum inquit: *Dania ut religionis ita Latinæ quoq; vocis aliena torpebat. At ubi cum ſacrorum ritu latialis etiam facultas acceſſit, ſegnities par imperitiæ fuit, nec deſidiæ minora, quam antea penuriæ vitia extitere.* Hinc factum, ut & nos horum faſtorum Autorem meritis laudibus defraudatum jam præterire cogamur. De eo loquor qui Julianum Calendarium ita in compendiaria hæcce inſtrumenta redigere ſuſtinuit, ut vel quivis è plebe horũ beneficio, cum peritiſsimis Aſtrologis de palmâ certare velle videatur. Audax certè facinus & in- *Cur primus Faſtorum Autor ignoretur.*

genii haud vulgaris, quod ſi illos ex majoribus noſtris faventes inveniſſet, quibus *tantæ tradendæ rerum ſuarū memoriæ cupido inceſſit* (rurſum verbis utor diſertiſsimi Saxonis) *ut voluminum loco vaſtas moles amplecterentur codicum uſum à cautibus mutuantes*, nequaquam ejus autorem ſilentio involviſſent.

Qualis autor fuiſſe videtur. Si tamen conjecturæ locus relictus; veriſimile videtur ab *Adelrunâ* aut *Scaldro* aliquo noſtrate magni nominis (hi enim Gymnoſophiſtas, Brachmannos & Druidas in hiſce regnis agebant) compendium hocce excogitatum eſſe, quod demum poſt veri Dei agnitionem feſtorum ſignis, aliisq; ejus generis auxerunt ſacrorum præſides. *Veteres Danorū Hiſtorici Scaldri.* Priſco etenim ſeculo, cum eorum qui hiſtorias ac res geſtas majorum conſcriberent, in hiſce ſeptentrionalibus regionibus magna eſſet penuria, poëtas quosdam, tàm pacis quàm belli tempore ſecum in comitatu *Qui Scaldri.* aulico circumferebant Reges, qui bella aliaq; quæ contingebant memoranda, linguæ vernaculæ rithmis & carminibus comprehendebant, ac populo decantanda, & longè lateq; diſſeminanda exhibebant. Hos autem *Skald* vocabant, nomi- *Skald.* ne tam viris quam fæminis competente teſte *Arngrimo* noſtro. Sic Arnerus quidam res geſtas Baronum Orcadenſium rithmo complexus, dictus eſt *Iarla Skald*. Thormodus famoſus Poeta, vocatus eſt *Kolbrunar Skald*, eo quod ut Catullus alter, amicam ſuam cognomine Kolbrunam (à nigellis palpebris) rithmis decantaſſet. Is poſtea in aulam Regis Norvegi aſcitus & ipſius res geſtas celebrans *Kongs skald* appellari meruit.

Skaldskapur. Ipſa verò ars Rithmica *Skaldskapur* dici conſvevit, item *vyſa, kuædi, kuodlingur* à verbo *at kueda*: cantare, item Drapa; carminis genus in rebus gravibus & majoris momenti: unde vulgatum lingua moderna *Draabelig*.

Scaldrorū poëſis. Tanta autem hujus Poëſeos excellebant promptitudine, ut quidvis, ex tempore, verbis ſelectiſsimis congeſtum, rithmis artificioſis & odis proferre & decantare valuerint, omnia admiſtis fabulis & aliis allegoriis admirabiliora reddentes, de quibus plura leges ad calcem Literaturæ noſtræ Runicæ. Horum ad noſtra ſecula haud pauca devoluta ſunt poemata & cantiones, quibus tùm Saxo, tùm alii rerum noſtrarum ſcri-


ſcriptores plurimùm ſunt adjuti. In cantilenis ſuis proponendis hoc præterea obſervabant, ut finitâ harmoniâ, rem geſtam cum omnibus circumſtantiis ſoluta oratione aſtantibus exponerent, unde factum ut & ipſi facilius poëma decantatum retinuerint, & ad poſteros per multa ſecula eodem pacto propagaverint. Adeò ut etiamnum mos hic minimè ſit obliteratus. Lubet hoc verbis Johan. Lyſcandri effari, qui Sermon. XII. Sic inquit: *Iucundiſſimum ſanè obſervatu eſt, quomodo agreſtiores olim populi (apud quos exigua olim Philoſophia, leveq́ hiſtoriarum ſtudium ſed magnus impetus erat) ſuarum rerum gloriam conſervare & poſteris relinquere annisi ſint, ne cum homine fama ſimul morientis interiret. Id autem perfecerunt poeticis concinnata narratione rithmis, & affectuoſis inveſtita melodiis, quæ & allicerent homines & cum admiratione & deſiderio animos inflammarent.* Celebris hoc ſtudio olim extitit Hiarnus qui ob epitaphium Frotoni regi poſitum, diademate fuit remuneratus, de quo ita Saxo noſter lib. 6. *Carmine edito autorem Dani diademate munerati ſunt. Ita ab eis Epitaphium regno repenſum, imperiiq́ pondus paucarum literarum contextui donatum eſt. Adeò exili impendio ingens præmium ſtetit. &c.* Ejusdem profeſsionis erat Stufferus ille cæcus, qui ob ingenioſa & acuta Regi Norvegorum Haraldo Siguardi filio ad propoſita, data reſponſa, in aulam vocatus, inque Scaldrorum numerum aſcitus fuit. De quo lege Arngrimum Jonam Crymogææ pag. 172. Plures ſupra enumeravimus & paſsim reperiuntur citati tum in Edda, tum in Hiſtoria Norvagicâ linguâ vernaculâ à nobis editâ.

Modus rithmos cantandi Scaldrorum.

Scaldri celebres.

Quinimò hoc titulo tantopere ſuperbiebant hujus artis periti, ut propriis eorum Nominibus illum non ſecus additum voluerint, atque hoc ævo Doctoris aut Magiſtri literatis attribuitur. Quod ex Epitaphiis & Monumentis ab ipſis poſitis & conceptis clarè elucet. Ut alia omittamus, hoc invenies libro ſexto Monumentorum noſtrorum inter Stavangrienſia, numero XX.

Titulus Scaldri.



ᚢᚱᛅᛁᚢᛒ : ᛋᚴᛅᛚᛏ : ᚱᛅᛁᛋᛏᛁ : ᛋᛏᛁᚾᛅ
Vrojub skald raiſtu ſtina.
Vrojub Scalder poſuit lapidem.

Apud Gallos eodem ſtudio excellebant *Bardi* de quibus ita Ammianus Marcellinus: *Bardi fortia virorum illuſtrium facta heroicis verſibus cum dulci lyræ concinnebant modulo.*

Fœminæ quin etiam ſe huic ſtudio dediderunt, ac haud raro palmam viris præripuerunt, unde & *Scald-Móer*, ſeu virgines cantatrices dictæ ſunt; qvod nomen diverſum eſt à *Skioldmóer*. Hæ enim à clypeis quos in bello geſtabant, ſic vocabantur, & ſunt eædem quæ ab exteris perpetuam fortitudinis & magnanimitatis gloriam ſub titulo *Amazonum* promeruerunt. Quarum ſtudium belliq; ardorem pulchris à Saxone noſtro delineatum vides Hiſt. Dan. lib. 7. in hunc modum: *Fuere quondam apud Danos fœminæ quæ formam ſuam in virilem habitum convertentes, omnia pene temporum momenta ad excolendam militiam conferebant, ne virtutis nervos luxuriæ contagione hebi-*

Skald-móer. *Skiold-móer.* *Amazones.*

hebetari paterentur. Siquidem delicatum vivendi genus peroſæ, corpus animumq́ patientia & labore durare ſolebant, totamq́ fœmineæ levitatis mollitiem abdicantes, muliebre ingenium virili uti ſævitia cogebant. Sed & tanta cura rei militaris notitiam captabant, ut fœminas exuiſſe quivis putaret, præcipuè verò quibus aut ingenii vigor, aut decora corporum proceritas erat, id vitæ genus incedere conſueverant. Hæ ergo perinde ac nativæ conditionis immemores, rigoremq́ blanditiis anteferentes, bella pro baſiis intentabant, ſanguinemq́ non oſcula delibantes, manusq́ quas in telas aptare debuerant, telorum obſequiis exhibebant, ut jam non lecto ſed letho ſtudentes, ſpiculis appeterent, quos mulcere ſpecie debuiſſent.

Ut ut ſit, autorem Faſtorum Aſtronomiæ & Matheſeos peritum, ſingulariq́; ingenii dexteritate præditum fuiſſe oportuit. Rectè namq́; Joſephus Scaliger de emend. temp. lib. 2. *Non omnis ſapientia penes Chaldæos & Orientem fuit, etiam Occidentis ac Septentrionis homines fuerunt* λογικὰ ζῶα. Exteris quidem horum inventionem attribuere non poſſumus, cum nullibi in viciniâ, præterquam in Arctois hiſce regnis eorum uſum extitiſſe memoriæ proditum ſit. Ut taceam eo characterum genere conſignatos eſſe hos faſtos, cujus rudes omnino erant & Germani & reliquæ vicinæ gentes. *Dani autores Faſtorum.*

A Danis verò ad Norvagos & Svecos derivatos eſſe, vel id comprobat; quod cultiora utplurimum hic extiterint ingenia, artesq́; omnes ſenſim in toto orbe, non minus quam incolæ ad Arctum & cœli immitiora loca ſint propagatæ: unde etiam ad horum mores & inſtituta ſeſe utplurimum compoſuerunt. Huc accedit quod quicquid laude dignum in Septentrione patratum fuit, id omne vel Cimbris, vel Gothis, vel Dacis fuerit aſsignatum, quos omnes Danico nomine hoc ſæculo inſignitos eſſe, ſupra oſtendi. *Quomodo ad Norvegos & Svecos propagati.*

Retulit vir quidam literatus & honeſtus, ſe à Ruſtico quodam in hoc negotio verſatiſsimo, unde hanc ſcientiam hauſiſſet, & à quibus ad ipſum hæc temporum computandi ratio delata eſſet, expiſcatum eſſe: qui reſpondit *Faſtorū Archetypi in eccleſiis ſervabantur.*

avum

avum ſuum paternum à Monacho quodam hæc didiciſſe, ac majores ſuos narraſſe, faſtos quos ab ipſis in ſe derivatos tenebat, juxta archetypum vetuſtiſsimi cujusdam libri in Nidroſienſi eccleſia aſſervati confectos eſſe. Hujus autem libri autorem ante centenos aliquot annos vixiſſe addebat. Ex quibus de faſtis prout jam conſpiciuntur locutum eum eſſe ſatis apparet Hi etenim ad exempla vetuſtiorum etiamnum à ruſticis noſtris fabicantur.

CAPUT SEPTIMUM.

Quando primum excogitati ſint hi Faſti.

Mox à Regni Danici conſtitutione inventos fuiſſe veteres Faſtos.

NOn minor difficultas in tempore aſsignando occurrit quo primùm inſtrumentis hiſce gaudere cœpit Dania noſtra, à quâ ad reliquos Arctoi hujus orbis incolas defluxerunt. Vetuſtiſsimum omnium rectè ſentientium conſenſu, ſiquidem ſit regnum Danicum, in eo, mox à prima e us conſtitutione & agriculturam exercuiſſe incolas, & varios tàm inter ſe, quàm cum vicinis contractus iniiſſe certum eſt. Sine iis etenim nec Reſpublica conſiſtere, nec privatus quiſpiam vitam commodè ſuſtentare valet. Hæc autem ſine temporum diſcretione præſtari cùm nequeant, quin mox à primis Regni incunabulis certam eorum computandi habuerint rationem, nemo niſi mentis inops negare poteſt. Ad noſtrum verò ſeculum illæſa & inviolata quòd hæc non defluxerit, hoſtibus de quibus jam diſſeruimus jure aſſcribimus.

Annos quomodo computaverint.

Interim tamen adhuc rudera extant Anni per hyemes computati, (forſan quod tot hyemis moleſtias & frigoris aſperitates ſuperaverint) dierumq; in quatuor ſectiones diſtributorum. De quibus tum legum noſtrarum paragraphi permulti; tum vulgò receptæ loquendi formulæ teſtimonium perhibent indubitatum. Sic codex Literis Runicis Manuſcriptus Legum Scanicarum : ᛋᚢᛆᚴ : ᛒᛅᚱᚴ : ᛘᛅ : ᛆᛁ : ᛋᛆᛚᛆ : ᛁᛅᚱᚦ : ᛋᛁᚴᛆ : ᛅᚠ : ᛆᛁ : ᛅᚴᛘᚱᛆ : ᛅᚠᚼᛆᚴᛘᛆ : ᚠᛆᚱ : ᛆᚴ : ᚦᛆᛘ : ᛆᚱ : ᚠᛆᛘᛘᛅᚴ : ᚢᛁᚴᛘᛆᚱ : ᚠᛅᛘᛘᛆᛚᛘ : ᛘᛆᛒᛅᚱᚴ : ᛅᛚᛘᚱᛁᚠ : ᚠᛆᚱ : ᛆᚴ : ᚦᛆᛘ : ᛆᚱ : ᛘᛅᚴᚴᛆᛘ : Quod his vertit Andreas Sunonis Epiſcopus Lundenſis Legum Provincialium Terræ Sca-

Scaniæ lib. 3. cap. 1. *Bona maris impuberis, donec quartum decimum annum compleverit, & fœminæ quamdiu innupta permanſerit, alienationi juris cenſura prohibet ſubjacere.* Sed qvoniam ea qvæ tenebris denſiſsimis involuta eſſe deploramus, relinqvere conſtituimus, eorum faſtorum, qvi à prioribus ſeculis ad nos derivati ſunt, ætatem ut venemur, magis ex uſu eſſe arbitramur.

Quando Faſti de quibus nos agimus, inventi.

Hi autem normam Calendarij, qvod Julius Cæſar operâ Soſigenis Mathematici adjutus, curſui Solis accomodavit, ſiqvidem ſeqvantur omnes, certum eſt vel vivente Julio Cæſare, vel mox poſt ejus imperium in hanc formam redactos eſſe. Negotium autem Romanum Calendarium, Pontificum negligentiâ depravatum reformandi aggreſſus eſt Julius Cæſar Pompejo debellato, ipſomet Pontifice maximo & dictatore exiſtente, collegâ in tertio conſulatu M. Æmilio Lepido. Fuit autem is annus ab urbe condita DCCVIII, qvartus Olympiadis CLXXXIII, ante natum Chriſtum XLIII. imperante in Dania *Fridlevo Snare* qvi circa id temporis Brittanniæ majorem partem & Hiberniam ſibi ſubjugavit, teſte Georgio Lilio in Chronico Angliæ.

Quando Julius Cæſar Faſtos reformavit.

Fridlevus Snare Rex Daniæ.

Hanc autem Calendarij reformationem, publico edicto gentes omnes Imperio Romano ſubjectæ recipere juſſæ ſunt anno ſeqventi DCCIX, ante natum Chriſtum XLIV. Quo tempore vel paulo poſt, ad nos qvoq; hanc anni formam delatam eſſe vero haud abſimile eſt.

Quomodo propagatũ Julianum Calendarium.

Conſtans namq; apud nos fama, ritibus ipſis approbantibus, Julium Cæſarem devictis Brittannis (qvod ante natum Chriſtum LI, anno factum memorant Hiſtoriographi Angli) Danos qvoq; ſub jugum imperij Romani redigere tentaſſe: ſed famâ gentis tam bellicoſæ, qvæ Papyrii Carbonis in Illyrico univerſum fudit exercitum, M. Junium Sylvanum proſtravit, Avrelium Scaurum captum detinuit, aliosq; populos ſibi ſæpius ſubjugavit, cum viribus ſuis diffideret, absterritum eſſe, miſsis tamen legatis (ne nihil prorſus hic ageret) fœdera iniiſſe, hac conditione, ut in hujus rei memoriam annuatim Sole Capricorum ingrediente ludos ſolemnes Julios celebrarent. Qvod pactum non ſolum ſervarunt, ſed & diem qvo

Cimbrorum contra Romanos victoria.

Ludi Julij.

hæc peragebantur *Iuledag* quaſi diem Julii diceres vocarunt. Cujus rei documentum ſatis evidens præbet tum ipſum diei etymon, quod jam feriis Natalitiorum Domini applicamus, tum ludi, qui etiamnum circa hæc tempora à plebe peraguntur, tàm apud nos, quam apud Anglos & alios quos ſibi hac lege aſſociavit. De quo antiqui hi adhuc circumferuntur Rithmi:

Omnes cenſum Cæſari, præter Gothos, dabant:
Mandatis imperii ſoli reclamabant:
In honorem Iulii Iul celebrabant.

Tentatos quidem crebro à Jul. Cæſare fuiſſe Gothos, ſed nunquam debellatos teſtatur Jornandes de rebus Getic. in hunc modum: *Cæſar vero qui ſibi primus omnium Romanum vindicavit imperium, & penè omnem mundum ſuæ ditioni ſubegit, omniaq́ regna perdomuit, adeo ut extra noſtrum orbem, oceani ſinu repoſitas inſulas occuparet, & qui nec nomen Romanorum auditu quidem noverant, eos Romanis tributarios faceret: Gothos tamen crebro tentans nequivit ſubigere.* Sic & Bartholomeus Anglicus de proprietatibus rerum lib. 15. cap. 153. *Iulii etiam Cæſaris invicta potentia, ſuperatis Gallicis, Allemanicis & Britannis cum Danis & Gothis Noricis, & Aquilonaribus populis aliis congredi formidavit, ſecundum quod tradunt ſcriptores hiſtoriæ, tam Græcorum quam Romanorum, quorum dictis poteſt ac debet merito fides adhiberi.*

J. Cæſar Gothos aggredi non eſt auſus.

Nec Cæſar ſolum, ſed & alii orbis domini à Gothorum ſibi metuebant robore, quod inter reliquos etiam teſtatum reliquit Oroſius lib. 1. cap. 16. Sic inquiens: *Modo autē Getæ illi qui & nunc Gothi, quos Alexander evitandos pronunciavit, Pyrrhus exhorruit, Cæſar etiam declinavit, relictis, vacue factisq́ ſedibus ſuis, ac totis viribus tot Romanas ingreſſi provincias, ſimulq́ ad terrorem diu oſtentati, ſocietatem Romani fœderis precibus ſperant, quam armis vindicare potuiſſent.* Favet huic opinioni vetus Regum Danorum hiſtoriola Rithmis vernaculis conſignata, quæ inter geſta Fridlevi vegeti pluribꝰ hoc perſequitur.

Gothi ab omnibus invicti.

Niſi forſan quis dicat, noſtrates de tempore natalis Julii

lii Cæſaris incertos, aliquid de Saturnalibus Romanorum inaudiiſſe, ac ea Julii honoribus deputata credidiſſe; quibus ſe, & qvò ad tempus, & qvò ad reliqva accomõdare voluerunt.

De ludis Juliis aliorum ſententiæ

Alii ludos hoſce in honorem natalis Julii Cæſaris eſſe inſtitutos referunt, qvod eo tempore natum credant. Qvam tamen opinionem vero minus litare crediderim, ſiqvidem Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 13. Julii Cæſaris natalem incidiſſe in menſem Qvintilem ſeu Julium hiſce aſſerit: *Quintilis poſtea in honorem Iulii Cæſaris, legem ferente M. Antonio M. Filio Conſule, Iulius appellatus eſt: quod hoc menſe ad quartum Idus Quintilis Iulius procreatus ſit.* Error autem inde irrepſiſſe videtur, quod cum Natalem Chriſti tum temporis celebremus, natalem etiam Cæſaris peractam fuiſſe antiquitus, eodem tempore neceſſarium ducant.

Qvidam quia dies xxv. Decembris Julio Cæſari dies Brumæ habitus, à Julio diem hunc & inſeqventes à noſtratibus Juel dictos putant, idq; autoritate Bedæ qui hæc habet: *vetus ſermo in Eccleſia XXV diem Decembris eſſe fauſtiſſimum & lætiſſimum natalem filii Dei in terra, is nempe Iulii fuit dies Brumæ & fuit celebratus à vetere etiam Eccleſia.*

Origo ludorum Juliorũ.

Ludorum vero Juliorum hanc fuiſſe originem memorant pleriq;. Debellatis à Jul. Cæſare Brittannis, ejus exercitus qvotannis more Romanorum, circa ſolſticium hibernum, ſole Capricornum ingrediente, Saturnalia ibidem celebrabant, ludis & ritibus conſvetis. Quæ cum incolis inſveta viderentur, in honorem Julii Cæſaris id fieri arbitrabantur. Et quia idem Cæſar in Brittanniam hos ſecum detulit, Julios vocabant, & paulatim veteri abolito, novum hoc iis indiderunt nomen, ut à Julio Cæſare Ludi Julii vocarentur. Qvod animadvertens Cæſar (ut erat gloriæ & honoris avidus) id ita fieri non ſolum permiſit, ſed & juſſit, atq; ad alias gentes ſeptentrionales, quas vel devicit, vel fœderibus ſibi adſtrinxit, propagari curavit. Ab ipſis Romanis ſupplicationes & divinos honores tributos Julio Cæſari memorat Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 30. Refert enim: *Divo Iulio in expeditione Gallica contra quos multiplici clade dimicatum eſt, ob claras pugnas quindecim*

dierum ſupplicationem decretam fuiſſe. Quæ certe non ſine variis ritibus peracta fuit, ex quâ ad alias gentes ritus quosdam propagatos fuiſſe vero non abſimile.

Saturnales Ludi. Quin imò hi ipſi ludi quos hoc tempore noſtrates peragere ſolent cum iis quos Saturnalibus celebrabant Romani convenire vel ex Athenei Dypnoſoph. lib. 14. colligere licet. *Per Saturnales,* inquit, *dies, quibus ſervos Romani convivio ſolent excipere, ſervilia miniſteria ipſi obeuntes, à Græcis more ſumpto, quoniam idem Mercurii feſtis diebus in Creta fit, ut ſcribit Caryſtius in hiſtoricis commentariis, epulantium ſervorum menſis miniſtrantibus ac famulantibus dominis.* In hunc ſenſum plura videbis eodem in loco apud Atheneum. Confer jam ſi placet, noſtrum *Drauw handske &c.*

Ludi Julis Anglorum. Quod etiam confirmat nobiliſsimus rerum Scoticarum Hiſtoricus Bucchananus lib. 5. in Arcturi rebus geſtis, ubi quibus ritibus Arcturus Rex hos ludos celebraverit edocet, non diſsimulato eorum nomine, quod plane cum noſtro idem eſt. Lubet verba ejus huc ſpectantia reciare. *Proxima æſtate Arcturus metu ingenti ex anni ſuperioris repentino ſucceſſu injecto, ubi primum Eboracum advenit, oppidum per deditionem recepit. Eo undiq; vicinorum & civium nobilitate adveniente, cum ibidem hyemaret, extremo Decembri omnibus lætis & potationi cæteriſq;, quæ ex ea naſcantur, vitiis deditis, renata eſt veterum ſaturnaliorum imago, ſed numero dierum duplicato, & apud potentiores triplicato: quibus diebus prope nefas habetur, aliquid ſeriæ rei agere. Munera mittuntur, fit mutua & prolixa inter amicos invitatio. A miniſtrorum caſtigatione abſtinetur. Noſtri IVLIA idfeſtũ vocant, Cæſaris videlicet nomine, pro Saturno ſubſtituto. Vulgo perſuaſum eſt, natalem Chriſti ceremoniis coli, qua in re verius Bacchanaliorum laſciviam, quam Chriſti tum nati memoriam referri ſatis conſtat.*

Si quid hic poteſt autoritas Johannis Magni, quæ tamen in aliis multis valde eſt ſuſpecta, refert is lib. 4. cap. 13. de Julio Cæſare, quod à magnanimitate Aquilonarium regnorum & populorum precario aſſecutus ſit, ut ad perennem ejus memoriam unum diem feſtum in menſe Decem-

Decembri inſtar Saturnalium dierum qui tunc Romæ agi ſolebant, celebrarent: in quo conviviis, tripudiisq́; quam maxime indulgerent, vocatus, inquit, eſt dies ille *IVLIVS*, perſeveratq́; usq́; ad noſtra tempora.

Mirum autem non eſt, Britannos in horum ludorum participatum veniſſe cum & alia multa à Romanis mutuo ſumere, ſibi laudi duxerint. Sic enim de iis Tacitus in vita Agricolæ: *Iam vero principum filios*, ait, *liberalibus artibus erudire, & ingenia Brittanorum, ſtudiis Gallorum anteferre, ut qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam abnuerent; inde etiam habitus noſtri honor & frequens toga, paulatimq́; diſceſſum ad delinimenta vitiorum, porticus & balnea & conviviorum elegantiam, idq́; apud imperitos Humanitas vocabatur, cum pars ſervitutis eſſet;* Hæc Tacitus. *Brittani Romanos imitati.*

Sunt ex noſtratibus viri fide digniſsimi qui per manus quaſi, à majoribus ſe percepiſſe referunt, Jul. Cæſarem, ubi imperium Cimbricum affectare cepiſſet, primo fœdus eis obtuliſſe, hac conditione, ut anuatim aliquot equitum turmas ſibi mitterent auxilio, ſin ſecus extrema quæq́; exſpectarent. Quod non ſolum animoſe recuſabant, ſed etiam ut ſe minas hujusmodi flocci facere declararent, legatos ignominioſe tractarunt, hircumque pro equo muneris loco transmiſerunt: unde etiamnum in ludis juliis apud nos hircina larva tectus introducitur quidam, quem *Iulebuk* vocant, quiq́; hircum Cæſari oblatum repræſentet, ac tantæ inſolentiæ memoriam conſervet. Quo forſan ſpectant illa Sexti Aurelii, quibus narrat Druſum Germanicum cum auſpiciis Octaviani Auguſti Cimbros invadere decreviſſet & caſtra cis Albim poſuiſſet mulieris monſtro exterritum fuiſſe & accepto ab iis lebete delictorum antiquorum oblivionem petentibus condonaſſe. Quæ delicta, ignominia illa eſſe videtur qua Jul. Cæſarem affecerunt, caprum pro tributo mittentes. *Cæſar à Danis contemptus.*

A ratione itaque alienum non eſt Danos tandem & Cimbros à Romanis jam Sociis quaſi perſvaſos & in- *Quomodo in Da-*

 ami-

niam Faſti Julii pervenerunt.

amicitiæ & initi fœderis ſtabilimentum illud ultro ſuſcepiſſe, quod reliqui ſubditi recipere edicto ſunt coacti. Præſertim cum tale quid fuerit, quod ipſis non oneri, ſed magno emolumento & commodo eſſe potuerit. Imprimis cum ex Strabone conſtet eos cum Auguſto Julii Cæſaris ſucceſſore, non ſolum amicitias coluiſſe, ſed etiam eidem munera eximia, in fœderis & amoris ſtabilimentum obtuliſſe. Narrat enim Cimbros (quo nomine apud exteros Dani tum inclaruere) æreum lebetem peculiari quadam religione abs ſe conſecratum ei dono miſiſſe, ut ſic diſsidii veteris & injuriarum abolerent memoriam. Verba ejus lib. 7. hæc ſunt. *ἔπεμψαν τῷ Σεβαςῷ δῶρον ἱερώτατον παρ' αὑτοῖς λέβητα αἰτούμενοι φιλίαν, καὶ ἀμνηστίαν τῶν ὑπηργμένων.*

Cimbri lebetem Auguſto mittunt.

Non poſſum quin de hac voce Clariſs. Iſaaci Pontani judicium, ab eruditiſsimo viro M. Stephano Stephanio literis ad me perſcriptum hic inſeram, ut quivis quam rei & veritati magis congruam judicaverit, arripere valeat.

Pontani de Juel ſententia

“ Sic autem Pontanus: Illud certum habeo, ad jubilatio-
“ nem & lætitiam temporis exprimendam id quicquid eſt
“ vocis (Jul) formatum. Et ecce haud obviam vocem quæ
eo faciat. Eſt enim apud Plinium *ἴουλος*, vox quæ cum
“ proprie capillaturæ contortionem Græcis notet, ille me-
“ taphoricῶs accipiens avellanæ filamentis aptavit lib. 29.
“ ubi ait: *Ferunt avellanæ Iulos compactili collo &c*: At Eratho-
ſthenem in hymno Mercurii *Iulon* pro lanificarum canti-
“ lenâ uſurpaſſe: ex iſto verſu liquet: *Δενδαλίδας τεύχοντα, καλὰς ἤειδεν ἰούλους.*

Farq; parans ſalſum SCITOS CANTABAT IVLOS.

“ Dydimus ait hymnum in laudem Cereris fuiſſe, quod
ex Semo Delio annotat etiam Athenæus lib. 14. & indicat
“ Theodoretus libro de materia & mundo ſic inquens: *Ne*
“ *cantemus Iulum Cereri, nec Baccho Dithyrambum.* Quod ſane op-
“ timè ſenſui noſtro, & ludis iſtis Julenſibus noſtratium
“ competit, qui aut celebrantur poſt completa jam Cerere
horrea, aut quod novus jam annus ac vernum tempus in-
“ ſtet,

ſtet, qvo Cereri denuo faciendum operandumq́;. Sed inquies, unde vox exotica,& Græca & adeo exoleta boreæ populo eſſe nota aut familiaris poterit? Reſpondeo alia & magis remota à Græcis tracta, quæ Dani hodieq́; uſurpamus. Quid? nonne *fød* noſtras id eſt natus à Græco φύω naſcor eſt? Nonne *Keerling* vetula, à χέρας? *Sinnep*, ſinapi à σήνηπη? & qvo nihil utimur frequentius, *Smór*, Butyrum à μύρον & adjecto σ σμύρον ungventum? Sicut Attici pro μικρον dicunt σμίκρον parvum. Et ſunt etiamnum plura, ſed ſuo loco volente numine ponenda. Hactenus Pontanus in literis Stephanii. Fuiſſe apud Romanos *Iulorum* familiam, quam à prima barbæ lanugine plæriq́; dictas autumant, teſtis eſt Alexander ab Alexand. Genial dier. lib. 1. cap. 9. Idem qvoq́; annotat Julum hymnum fuiſſe Cereri dicatum, ut Hypingos Dianæ, Pæan Apollini, Veneri Eroticum &c.

Danica vocabula à Græcis orta.

Non immeritò de hoc reformati Calendarii negotio apud Lucanum lib. 1. Pharſaliæ in convivio Cleopatræ, ita gloriatur Cæſar:

Nec meus Eudoxi faſtis ſuperabitur annus.

Accedit evidens ratio à Cyclo lunari deſumpta; qui eundem locum, in iiſ quibus jam utuntur faſtis occupat, quem obtinet in Calendario Romano ad Julii Cæſaris normam ab eruditis in lucem producto. Qvod cuivis faſtos noſtros cum Calendario Romano ab eruditiſsimo Mathematico D. Nicolao Mullerio edito conferenti apparebit, in qvo ſitum antiqvum Cycli lunaris ſe retinuiſſe profitetur. Vide caput 1. Iſagoges.

Probatur faſtos noſtros tempore Jul. Cæſaris excogitatos.

Ita verò ad nos delatum Calendarium Julianum à Runis & Scaldris aliisque ſyderum & naturæ conſultis, ob inſignem utilitatem & miram cum ſyderum motibus harmoniam avidè arreptum eſſe quis dubitat? Ac primò quidem patriis notis, Runicis videlicet, ſive in fagis, unde etiamnum apud nos Libri *Bóger* dicuntur, ſive in corticibus, ſive in membranis, vel, ſi mavis, in ipſis fanorum cautibus, ut ſolis ſacerdotibus inſerviret, conſignarunt, donec tandem ingenii rarâ dexteritate emerſit ille, quisquis tandem fuerit, qui per hæc-

Qvomodo Faſti Juliani in noſtrũ uſum cõverſi.

Cur libri Danis vocentur Bóger.

hæcce compendia, tam utile tamq́; neceſſarium negotium plebi communicandum duxit. Cujus nomen ſi extaret, æquiore jure faſtis hiſce inſereretur, quàm multorū tituli, quos boni publici cura vix unquam tetigit. Probabile namq́; eſt, non ſecus rem ſe habuiſſe apud noſtrates, quam apud Romanos: apud quos *Priſcis temporibus*, ut inquit Macrobius, 1. Saturn. cap. 15. *antequam faſti à Cn. Flavio Scriba, invitis patribus, in omnium notitiam proderentur, pontifici minori hæc provincia delegebatur, ut novæ lunæ primum obſervaret aſpectum. &c.*

CAPUT OCTAVUM.

Quænam fuerit idea Faſtorum Danicorum ante veri D E I *cultum.*

Olaus Magnus faſtos veteres concedit & negat.

DE Sveticis ita diſſerit Olaus Magnus hiſtoriæ lib. 1. cap. 34. *Baculus humana longitudine formatus eſt, utroq; latere numero hebdomadarum anni, pro qualibet hebdomada Gothicas literas ſeptem, quibus aurei numeri & literæ Dominicales (poſt acceptum Chriſtianiſmum) patria voce ac figuris deſtinguuntur.* Quæ verba ſi diligentius expendantur, non ſolum miram nobis exhibent horum baculorum ideam, ſed illos penitus tollerè videntur. Primò aſſerit baculos hoſce prò qualibet hebdomada Gothicas literas ſeptem habuiſſe: deinde de ſignis feſtorum, aliisq́; notis nihil addit, hiſce itaq́; deſtitutos eos ſuiſſe tacitè innuit: Aureos numeros poſt Chriſtianiſmum demum acceſiſſe ſubjungit. Nil igitur præter ſeptem notas Gothicas, in utroq; latere, ſi ipſi credimus, continebant hi faſti.

Faſti veteres juxta Olaum Magnum ex ſolis ſeptem notis conſtabant.

Refutatur.

Quod ſi verum, quem quæſo uſum in temporum diſcriminibus aſsignandis, Lunæ mutationib⁹ proponendis, menſium curſibus exhibendis, aliisq́; infinitis exhibere potuiſſent? Et ut hominis ineptias magis mirere; mox has ipſas ſeptem Gothicas literas, ex quibus ſolis conflatos putat hoſce faſtos, penitus tollit, atq́; ita baculos qvos jam ante Chriſtianiſmum extitiſſe dixit, prorſus eliminat. Quid enim aliud eſt aſſerere poſt acceptum demum Chriſtianiſmum Literas Dominicales patriâ voce ac figuris in iis diſtinctas eſſe, quàm profiteri illos

illos ante Chriſtianiſmum ſeptem notas hebdomadas diſtingventes non habuiſſe,ac proinde nihil? Sublatis enim feſtorum indiciis, literis Dominicalibus & aureo numero quid in iis reſtat? Si igitur hiſce ejus verbis fides ſit adhibenda,faſtos plane nullos ante Chriſtianiſmum Svecos habuiſſe colligere licet.

Vera ſententia de Faſtis ante veri Dei cultũ

Nos vero rationibus haud levibus inducti, aſſerere non dubitamus faſtos hos,in Daniâ ante veri Dei cultum æque ex tribus notarum ſeriebus coflatos fuiſſe atq; jam ſunt, quam vis non iisdem plané.

Prima ratio.

Primo namq; in confeſſo eſt ad normam Juliani Calendarii baculos hoſce (quantum quidem fieri potuit, & inſtituti ratio permiſit) fuiſſe ſculptos: (de aliis namq; antiquioribus nobis jam ſermo non eſt) hoc autem Calendarium tribus principalioribus conſtabat membris, Cyclo ſcilicet Lunari, Cyclo ſolari & feſtorum indiciis, ut in Calendario Romano veteri,formâ Julianâ conſcripto à Nicolao Mullerio & aliis videre licet. Numerum dierum qvod attinet, eum inſtituti ratio & res non admittebant, Kalendis verò, Idibus & Nonis gens noſtra adſtringi noluit. Tribus igitur iſtis neceſſario conſtare debebant faſti noſtri, modo Juliani Calendarii ideam iis referre animus eſſet.

Ratio ſecunda.

Huc accedit uſus ipſe, qui tria hæc neceſſario efflagitavit. Quo etenim pacto, quibus anni temporibus, vel Diis dicata ſacrificia, vel ludi peragi deberent, ex hiſce dignoſcerent, ſi prima abeſſet ſeries? quibus modis hebdomadæ, ac imprimis Solis curſum oſtenderent abſq; ſecunda? Quid menſium tenorem Lunæq; Φάσεις indicaret, ſi tertiam eliminares? Horum itaq; unum ſi auferas totam temporum ſupputandi rationem collabi neceſſum eſt.

Quid primâ ſerie continebant Faſti veteres.

Quin ſtata tempora quibus Diis ſuis, tam majoribus quàm minoribus gentium, ſacra facere ſoliti ſint, in hiſce lignis notata habuerint primâ ſerie, vix dubitandum, ut taceam ludos ſolemnes, de quibus ſupra dictum, & operum qvovis anni tempore peragendorum notas, quarum etiamnum in modernis haud rara extant veſtigia. Circuli verò ſolaris in-

dices ſeptem, ſuum qvoq; quem jam ſervant locum occupaſſe minus dubium eſt, cum eorum beneficio dies hebdomadæ deſtinxerint, ac quis Soli, quis Lunæ, quis Thiſæ, quis Othino, quis Thoroni, quis aliis aſcribendus, obſervaverint, atteſtantibus id ipſum lineamentis omnibus. A Chriſtianis namq; ſi primum additus fuiſſet, non Runicis, ſed illis quas cum Religione adduxerunt, literis extaret. Par judiciũ de Lunari eſt cyclo, qui à Metone Athenienſi Aſtronomo CCCLXXX, añis circiter ante Juliũ Cæſarem, olympiade videlicet LXXXVI, vel ut alii volunt LXXXVIII, fuit inventus, tantoq; in pretio à Romanis habitus, ut aureis literis in Julianis notaretur Calen 'ariis, unde & nomen *Aurei numeri* poſtea invenit. Hoc itaq; cyclo omnino carere non potuerunt faſti antiqui, imprimis cum menſes Lunares obſervent, qvos hujus beneficio diſcriminare neceſſum ſit.

Aureus numerus unde dictus.

CAPUT NONUM.

Qvando veteres hi faſti correcti & novis feſtorum notis adaucti.

POſt abrogatam in hiſce Regnis gentilium idolomaniam & veri Dei cultum introductum, id factum eſſe ratio dictitat. Multo enim ante Gregorius Magnus Pontifex Maximus, invocationem Divorum inſtituit: at præcisè qvo anno aut ſub cujus Regis imperio hæc mutatio contigerit, demonſtrare non æque facile.

Quando in Dania cepit abrogatio Gentiliſmi.

Hiſtorias gentis noſtræ fide dignas ſi evolverimus reformationis fundamenta jacta eſſe Anno Domini DCCCXXVI memorant pleræque; Circa id enim temporis, teſte Krantzio, *Haraldus quartus*, dictus *Klak*, qui à Regnero in exilium pulſus à Ludovico Imperatore regno hàc conditione reſtituendus erat, ut abrogato idolorum cultu, vero Deo & Chriſto nomen daret, reformationis negotium per ſuos aggreſſus eſt. Cujus exordium ita pertexit Helmoldns Eccleſiæ Lubecenſis presbyter, Hiſtoriæ cap. 5. *Inter quos primi vel præcipui Danorum populi, viribus & armis præpotentes, prius quidem Slavos, itemq; Freſones*

Haraldus Klak.

Danorũ expeditiones.

ſones tributis ſubjiciunt. De hinc claſſe pyratica per Rhenum ſubvecti Coloniam obſederunt. Per Albiam Hammenburg funditus exciderunt. Et paulo poſt: *Pontifex quoq; Anſcarius Cæſaris legatione functus Regem Danorum frequenter adiit, ubi pro commodis utriusq; regni & pacis ſtabilimento ſtrenuè agens, multam apud Regem, licet gentilem, familiaritatis gratiam prò fidei ſuæ reverentia conſecutus eſt, cui etiam facultatem attribuit eccleſiam ſtatuendi in Schlesvig & Ripe, præbita prius licentia, ne quis volentes baptizari, & Chriſtianis legibus uti impediret.* Aventinus Annalium Bojòr. lib. 4. pag. 384. ſub Ludovico Pio jacta quidem eſſe Chriſtianæ religionis in Dania fundamenta aſſerit, ſed non ab Anſgario, verum Ebbone Remorum Epiſcopo ſic namq; inquit: *Ut pax inter Reges Nordòmannos componeretur, miſſi ſunt in Daniam Theotharius & Rotmundus præfecti, Ebbo Epiſcopus Rhemorum, qui complures Cimbrorum Philoſophiam Chriſtianam recipere perſvaſit, aquaq; ſacra luſtravit.* Sed fieri poteſt Ebbonem in comitatu S. Anſgarium habuiſſe, qui hæc præſtitit quæ Ebboni ab exteris attribuantur, juxta tritum illud: qvod qvis per alium facit, per ſe feciſſe putatur; imprimis cum, in more poſitum ſit, ut Miniſtrorum præclarè geſta dominis aſcribantur.

S. Anſgarius.

Prima Eccleſia in Sleſvig & Ripis.

Quanquam indubitatâ Hiſtoricorum fide, conſtet Torchillum quendam Adelfar ſacris Chriſtianis in Belgio initiatū, fundamenta tam ardui negotii jeciſſe, circa annum Chriſti DCCXX. quæ tamen mox ab ethnicæ idolomaniæ addictis Regibus diruta ac diſsipata fuerunt. Quod non obſcurè innuit Saxo lib. 8. ubi varias & periculoſas hujus Torchilli peregrinationes, omnem ferè fidem ſuperantes, cum pertexuiſſet; *Tandem*, inquit, *ad Germaniam Chriſtianis tum ſacris initiatam appulſus apud ejus populum divini cultus rudimenta percepit.*

Torchillus Adelſar.

Verum enimvero ſiquidem Religio varias ſtrages ab hujus Haraldi temporibus paſſa ſit (præſertim tempeſtate Regis *Gormonis* quem Helmoldus *Vorm* appellat) ita ut fixam ſedem in hiſce oris non invenerit, usq; in tempora *Haraldi Blatand*, qui cum Reginâ & filio à Poppone baptizatus fertur, anno Chriſti DCCCCLXXIV, tum de faſtis corrigendis aut feſtis ſanctorum celebrandis nullam cogitationem firmam habere potuerunt.

Perſecutio tempore Gormonis.

Haraldus Blatand à Poppone cõverſus.

Quocirca colligere hinc quiſpiam poſſet, confirmatis probè & in Chriſti agnitione enutritis jam animis primùm de hoc negotio cogitari cæptum. Idq; demum poſt annum Chriſti M XXX, eo etenim obtruncatus eſt Olaus Rex Norvagorum, qui poſtea in Divorum numerum relatus, locum in hiſce faſtis, ſecuris charactere inſignitum meruit. Qui cùm in omnibus, quotquot hactenus videre contigit, ita extet, aliquo ab ejus obitu tempore reformatos, atq; in hanc quâ jam conſpiciuntur formam redactos crediderit quiſpiam.

Quando festorum ſignis ornati Faſti

Cæterùm cùm in quibuſdam D. Canuti feſtum peculiari indiculo annotatum extet, ne hoc quidem tempore feſtorum à Chriſtianis celebratorum characteres additos ſuſpicari licet. Is etenim ob ſtudium patriæ amplificandæ religioniſq; propagandæ, cùm ante aram ſe Deo commendaret Otthoniæ in æde D. Albani lanceâ transfoſſus, animam Deo reddidit Anno M LXXXVI vel ut alii volunt M XC. Cum itaq; *Sanctitas ejus* (verba Saxonis refero) *gloria & celebritatis fructu opulentiſſima ſplendidum in faſtis locum obtinuerit*, hinc forſan collegerit quiſpiam poſt hæc tempora correctos eos eſſe, feſtorumq; ſignis locupletatos. Et quis ſcit an Anno MCVII, quo in hujus D. Canuti honorē monaſterium Benedictinis Monachis Otthoniæ ædificatum eſſe referunt hiſtoriæ noſtræ?

D. Canutus quando obierit

Monaſterium Benedictinorum Otthoniæ ædificatū

Hiſce ita poſitis ante quingentos, aut circiter annos eâ quâ jam conſpiciuntur formâ in uſum traducti videntur Faſti noſtri; ſed probabilius horum ſigna demum in recentioribus locum inveniſſe, ac ante hæc tempora, reliquis feſtorum indiciis dotatos fuiſſe.

De tempore reformationis Faſtorum probabilior opinio.

Cæterum cum de tempore quo martyrio affectus ſit D. Canutus, cujus hic facta eſt mentio, non eundem omnium Chronologorum noſtrorum ſententiam eſſe videam, non abs re futurum duxi, ſi integram martyrii hiſtoriam (quæ annum obitus indubitatè continet) ſubjunxero. Ea autem utar verborum formulâ, quæ in arculâ, in quâ ejus corpus repoſitum erat, inventa eſt Otthoniæ An-

no

no M D LXXXII. 22 Janu. cum pro reparanda æde ipſi dicata, ſacellum in quo poſitus erat, immutaretur. Cum igitur haud parùm ad fidem hiſtoriæ conciliandam & totius negocii momentum illuſtrandum facere videatur, dignum duco quod hic (ne penitus obliteretur & pereat) locum inveniat. Sic autem habet.

Anno incarnationis Dominicæ MLXXXVI, in civitate Otthenſija glorioſus Rex & protomartyr Danorum Canutus, pro zelo Chriſtianæ religionis & juſtitiæ operibus, in Baſilica S. Albani martyris, per eum paulò ante de Anglia in Daciam transvecti, poſt confeſſionem delictorum Sacramento munitus Dominici corporis, ante aram manibus ſolo tenus expanſis, in modum crucis latere lanceatus VI Idus Iulii & VI feria, mortem pro Chriſto paſſus, requievit in ipſo. Occiſi ſunt & ibidem cum eo, ſcilicet ejus nomine, & gratia martyrii, Benedictus, ac decem & VII ſui commilitones, videlicet Aſmundus, Blacca, Sónen, Aga, Thurgo D. Bernhardus, Gudmer, Æſkill, Tochik, Palai, Ati, Suna, Roſtenulo, Radulus, Altoi, Thurgotus, Vilgrup Arni, Omnes ſicut Dei gratia cum ſuo Rege, ac Domino ſocii paſſionum martyrii fuerunt, ita conſolationis & præmii cum eo conſortes meritò erunt. Hiſtoria obitus D. Canuti.

Epitaphium. Epitaphium S. Canuti.

Iam cœlo tutus, ſummo cum rege Canutus
Martyr inaurata Rex atq; reconditur arca,
Et pro juſtitiæ factus occiſus iniquè,
Vt Chriſtum vita, ſic morte fatetur in ipſa,
Traditus à proprio ſicut Deus ipſe miniſtro,
Et petiens polum telorum pertulit ictum,
Lancea nec ne latus ut Chriſti perforat ejus,
Ejus ut ante ſacram ſanguis ſacer effluit aram
Spiritibusq; ſacris moriens ſociatur in aſtris.

In hiſce nobiſcum facit Ælnottus Cantuarienſis Monachus qui ejus vitam deſcripſit. Sed Ericus Pomeranus in Hiſt. Danica anno M LXXXVIII, Martyrio affectam ait. Wilhelmus Malmisburienſis M LXXXVII, de quibus conſule notas Clariſs. viri Joannis Meurſii in Ælnothum. Qui etiam

juxta autoris ſui præſcriptum nomina illorum qui cum Canuto vitæ uſura ſpoliati ſunt ita emendat. Pro *Sónen* legit Sven, pro *Tburgo*, Thrugot; pro *Gudmer*, Guthmar, pro *Tochib*, Tokki; pro *Palai*, Palni, pro *Ati*, Atti, pro *Roſten*, *Milo*, *Radulphus & alter Thrugotus*: Roſtenulo, Radulus, Altoi, Thurgotus. Pro *Vilgrup. Arni omnes*: Wilgrip. Qui omnes &c. In verſibus Epitaphii & hanc obſervavit diſcrepantiam; in tertio pro *Et pro Iuſtitiæ*, legit, Qui pro Juſt. in ſexto, pro *Et petiens polum*. Atq; petens polum. Octavus plane ab Ælnotto omittitur.

CAPUT DECIMUM.

Quem in finem hi Faſti ſint excogitati.

Quem in finem excogitati Faſti Danici. Siquidem temporis revolutio, adeo neceſſaria ſcitu ſit omnibus, ut ſine eâ nec Deo debitum obſequium præſtare, nec ſibi aut Oeconomiæ proſpicere commodè quis poſsit, dubium nullum eſt, quin majores noſtri eo fine inſtrumenta hæc lignea magni fecerint, atq; ad poſteros eo nomine propagarint, ut ex iis aliquomodo id perciperent, quod docti jam ex Ephemeridibus, Calendariis, aliisq; ejus generis pleniore ſyſtemate conſcriptis libris. Anni inquam curſum ac ſtata tempora, menſium, præſertim verò Lunarium, revolutiones, hebdomadarum ac dierum viciſsitudines, feſtorum mobilium ac immobilium, dierumq; ad opera fauſtorum aut infauſtorum momenta, aliaq; ejus generis quamplurima. Nec ſpe fruſtratus fuit ille quisquis primus eos excogitavit. *Ex his* etenim, teſte Olao Magno lib. 1 cap. 34 *Ruſtici atq; villani periti adeo evaſerunt, ut die una prædicere poſſint, quotusquisq; Aureus ſit numerus, literaq; Dominicalis, Annus biſextilis, intervalla, feſta mobilia, & ipſæ Lunares mutationes poſt decem, vel ſexcentos aut mille annos fient, vel erunt.* Quod licet mirum cuipiam videtur, attamen rem ſe ita habere teſtis eſt ipſa experientia à quamplurimis Daniæ Agricolis petita.

Cur non omnes æ- Quamquam non diſsimulandum, inter ipſos Agricolas quosdam eſſe in hiſce exercitatiores, quosdam verò rudio-

rudiores: quod tum propter ingeniorum, tum inſtrumentorum diverſitatem evenire conſvevit. Reperire enim licet imperfectiores faſtos in quibus aureus numerus planè deeſt, & rudes lineæ vices Dominicalium ſupplent; ex quibus parum admodum ſi ſeriem feſtorum ac hebdomadarum curſum cum aliis nonnullis exceperis, prædicere valet obtuſioris ingenii Agricola. *quæ exercitati in hiſce.*

Attamen ſi quis perpenderit, noſtrates Ruſticos, aſtra obſervare, peculiari quodam inſtinctu, aut horum locorum genio, ex iisq; varia, eaq; certa eventura prædicere, in reliquis quæ manibus verſant, exercitatos eſſe, minus mirabitur. *Polum Arcticum mirè obſervant,* inquit Olaus Magnus, *uti gnomonem totius cœleſtis Horologii, item plauſtra ſeu urſas, colum & fuſum Veneris, tanquam familiaria antiqui numinis ſigna, quorum naturâ inſpecta mirè provident caſibus eventuris.* Quibusdam in locis ex viâ lacteâ quam noſtrates *Veirvejen,* Norvagi *Vettreveyenn* vocant, circa feſtum Michaëlis diligenter perluſtratâ, de totius Anni tempeſtatibus prognoſtica edunt haud contemnenda. Nebulas enim in eâ conſpectas nivem portendere aſſerunt, & quò majores & denſiores, eò quoq; harum copiam majorem. Quà Boream ſpectat, autumnum indicare cenſent, quà Libanotum, Ver. Bracchium auſtrale, marinas: ſeptentrionale terreſtres oſtentat aeris mutationes. *Ruſtici in Dania Aſtrologiæ dediti. Prognoſtica ex viâ lacteâ.*

Quàm verò exactè ex Solis & Lunæ ortu & occaſu, rubedine & pallore aliisq; affectionibus reliquorum planetarum, futuras tempeſtates, pluvias, ſerenitates, peſtes aliaq; prædicere norint, pluribus non perſequar, cum libri vulgari linguâ eâ de re editi, id abundè ediſſerant. Nunc ſaltem quam anni formam, quem menſium tenorem, quam dierum ſeriem Faſti noſtri exhibeant oſtendendum, ut ex hiſce eorum ſcopus & uſus melius eluceat. *Prognoſtica Ruſticorum.*

CAPUT UNDECIMUM.
De Anno Danico.

NOn lubet hic variarum gentium annos recenſere, formis

mis & modis variè diſcrepantes, noſtrum ſaltem quem exhibent faſti, ſi intueamur, ad normam Juliani omnino compoſitum videbimus. Hic autem *Iulius Cæſar Ægyptios*, (teſte Macrobio 1. Saturn. cap. 14.) *ſolos divinarum rerum omnium conſcios imitatus, ad numerum Solis, qui diebus ſingulis tricenis ſexaginta quinq́; & quadrante curſum conficit, annum dirigere contendit. Nam ſicuti Lunaris Annus Menſis eſt, quia Luna paulo minus quam menſem in zodiaci circumitione conſumit, ita Solis Annus hoc dierum numero colligendus eſt, quem peragit, dum ad id ſignum ſe denuò vertit, ex quo digreſſus eſt, unde annus vertens vocatur, & habetur magnus; Cum Lunæ annus brevis putetur. Horum Virgilius utrumq; complexus eſt.*

Anni Juliani forma.

Annus vertens & Magnus.

Interea magnum Sol circumvolvitur orbem.

Hæc Macrobius, quibus eandem planè anni ideam proponit, quam noſtri exhibent Faſti, cujus inventionem Julio Cæſari aſcribunt, qui & hoc inſuper (quod in noſtris non negligitur) decrevit, ut annis tribus, dierum 365. elapſis, quartus inſequeretur, qui uno die ex quatuor quadrantibus elapſorum annorum conflato præcedentes excederet. Quod ita expreſſit Ovidius 3. Faſt.

Annus biſſextilis.

Is decies ſenos ter centum & quinq́; diebus
Iunxit, & è pleno tempora quarta die.

Hic autem dies qui quarto quovis anno (quem Dani *Skud-Aar* appellitant, forſan quod ei dies unus intrudatur, vel in eo litera una Dominicalis in alterius locum ſubſtituatur) addi ſolet, nunc ante feſtum D. Matthiæ Apoſtoli in Februario, veteri ritu intercalatur; cujus rationem ſi quis expetat, legat Macrobium lib. 1. Saturn. cap. 13.

Skudaar.

Hanc tamen anni formam à Græcis quibusdam hauſiſſe videtur Cæſar, qui eandem ab Ægyptiis ſunt mutuati; ut ex Strabonis lib. 17. abundè patet. Cujus inter alia hæc ſunt: ὅτοι (de Ægyptiis loquitur) δὲ τὰ ἐπιτρέχοντα τῆς ἡμέρας, καὶ τῆς νυκτὸς μόρια ταῖς τριακοσίαις ἑξηκονταπέντε ἡμέραις εἰς τὴν ἐκπλήρωσιν τοῦ ἐνιαυσίου χρόνου παρέδοσαν. Ἀλλ' ἠγνοεῖτο τέως ὁ ἐνιαυτὸς παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ὡς καὶ ἄλλα πλεῖω ἕως οἱ νεώτεροι Ἀστρόλογοι παρέλαβον παρὰ τῶν μεθερμη-

Anni Juliani forma à Græcis defluxit & Ægyptiis.

θερμηνέυσαντων ἔις τὸ ἑλλήνικον τὰ τῶν ἱερέων ὑπομνήματα. Καὶ ἐτὶ νὺν παραλαμβάνυσι τά ἀπ᾽ ἐκείνων ὁμοίως καὶ τὰ τῶν χαλδαίων. In eundem ſenſum plura apud eum leges, aliquot inde paginis, ubi de Thebanis agit ſacerdotibus. Hæc ille qui tempore Auguſti & Tiberii adhuc vixiſſe dicitur, quo melius ac verius nemo hac de re diſſerere unquam potuit.

Strabo quando vixerit.

Quinimo Hippocratem de Septimeſtri partu, Annum Solarem agnoviſſe & deſcripſiſſe ſunt qui ſtatuant, inter qvos Horatius Augenius in libello quod homini certum non ſit naſcendi tempus: de quo tamen alii aliter ſentiunt.

Joſephus Scaliger de emend. temp. lib. 2. refert Danos ac veteres Saxones ex Oceani celebrioribus πλυμμύραις ex Lunâ dependentibus annui curſus diſpoſitionem collegiſſe, eandemque ob cauſam annos Lunares habuiſſe, quod clarius ex verbis ejus patet. Sic enim inquit: *At Veterum Saxonum & Danorum mira anni ordinatio fuit, ex affectibus Oceani, cujus littora accolebant illi. Notiſſimum ad ejus ſyderis incrementa & decrementa Oceani quoq; vices recurrere. Sed in pleniluniis amborum æquinoctiorum duæ fiunt ingentes πλημμύραι ad quarum obſervationem annum ſuum digeſſerunt. Eas πλημμύρας Malinas: Αμπώτεις autem Ledunas vel Lidunas vocabant.*

Dani antiquitus Annos Lunares habuerunt.

Ex Oceani æſtibus Annos metiebãtur Dani.

Agnoſcis, ut arbitror, lingvæ noſtræ in vocibus *Malina* & *Liduna* veſtigia haud firmiter ſatis à Scaligero preſſa, quod idiomatis noſtri haud probè ſatis fuerit gnarus. *Magle* etenim Magnum vocamus, unde *Malina* pro *Maglina* dicitur Oceani intumeſcentis æſtus, qui majori copiâ aquas in littora effundit. *Liden* verò parvum etiamnum notat, hinc *Lidun* & *Lidunas ἀμπώτεις* vocarunt, eo quod decreſcente æſtu parvum ac minus reddatur mare, quàm antea erat.

Malina quid

Liduna.

Fruſtra ſeſe hic torquẽt alii aliunde etymon petentes. Haud enim probe rem aſſecutus eſt vetus Bedæ Scholiaſtes *Malinam* à Majore Luna, Lidunã â Læſa unda violenter trahens. Nec mihi ſatisfacit amiciſsimus Spelmañus à Saxonico *Leid* quod eſt Lenis Lidunam deducens quod menſes duo Julius & Junius ab eodem Beda Lida vocentur, utpote blandi & navigabiles:

aliud *Lida* aliud *Liduna*: certum namq; Bedam Malinæ & Lidunæ terminos ſecum ex Cimbria in Angliam detuliſſe eosq; civitate Latina donaſſe eo ſenſu quo in patria ſumuntur. Quid vero *Magle* & *Liden* nobis notet, vix quisquam eſt qui ignoret. Rebus enim magnis ad minorum comparationem aut præponi, aut poſtponi, *magle*, *Liden* vero minoribus clarius eſt quam ut demonſtratione egeat; Hinc *Magle Kidde*, *Skentſitmagle*, *Skentſit Liden*, *Helle Magle*. *Helle liden* &c. pagi in Selandia notiſsimi. Quia talia de pagis & fontibus dici videmus, quid ni *κατ' ἐξοχὴν* ſimpliciter de Oceani æſtibus majoribus & minoribus? In Galliis apud Santones, ubi Salem ex aqua marina conficiunt, vocabulum Malinæ adhuc in uſu eſſe docet Bernhardus Paliſsy in tractatu de ſale communi pag. 255. *Temps de grandes Malignes*, vocant quando mare maxime intumeſcit, & ut ille inquit, *lors que le mer eſt en ſa ſuperbe grandeur*. At trecentis viginti quinq; annis ante Bedam voces haſce Latinis ſcriptoribus in uſu fuiſſe ex Marcello Empyrico rectè docet Clariſsimus Voſsius de origine & progreſſu Idololatriæ lib. 2. cap. 69. Extat certe apud Marcellum cap. 17. remedium ad tuſsim efficax, ut ait, ex herba Latinis Ungula equi dicta collecta vetere Luna, Liduna, die jovis præparatum & cap. 25. *ad Iſchiad in colliges herbam quæ dicitur Britannice die Iovis vetere Luna & Liduna ſiccabis & repones &c.*

Angli à Danorũ Jutis oriundi. Rem ipſam quod attinet; hæc ab illis propoſita Anni forma à Danis & Anglis (qui à Danorum Vitis vel Gutis teſte ipſo Beda Hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap. 15. originem traxerunt) recepta videtur, antequam Julianum Calendarium à Romanis ſunt mutuati, quocirca de ea pluribus jam agere noſtri non eſt inſtituti. Ex Jutis namq; ortos eſſe Cantuarienſes & qui Vectam inſulam colunt, teſtis etiam eſt Gvilhelmus Lambardus in Archeonomia. Nec diſsimulandum hic venit ejusdem Lambardi eodem in loco de Vitis judicium. *Atq; hic*, inquit, *(quoniam Iutarum facta eſt mentio) admonendi ſumus librariorum incuria falſo haberi in latino codice VITAS præpoſito V, pro IVTAS. Nam liber Bedæ Saxonicus GEATVM vertit, id eſt Gottos quos*

Iutas

Iutas & Iutones fuiſſe antiquitus dictos, Philippus Melancton, & Mathæus Veſtmonaſterienſis affirmat. Atq; id ipſum non obſcurè paulo poſt innuit ipſe Scaliger cum inquit. *Non miraris gentem Romanam orbis victricem & dominam ineptiſsimâ anni formâ ad tempora usq; Iulii Cæſaris uſam: eam verò quæ Romanis videbatur barbara, non ſolum annum Lunæ ad Naturæ regulam, Oceanum dico direxiſſe, ſed etiam anni Solaris curſum tenuiſſe. Quomodo enim Capricorni initia & XXV noctem Decembris tam exactè notaſſent, niſi quadranti diei 365, diebus Solis appoſito? Nam quod ab Autumno incipiebant, ſciebant arcum illum à principio Libræ ad principium Arietis reſpondere ſemiſſi anni Lunaris &c.* De hac inundationis ratione etiam fama ad ipſos Græcos ſparſa eſt, ſed fabulis adeò involutâ, ut quid certi ſubeſſet, determinare non potuerint. Lege Strabonem lib. 7. variè hac de re differentem. Ἔοικε δὲ, inquit, πλάσμασι τὸ συμβῆναι ποτὲ πλημμυρίδα ὑπερβάλλουσαν. &c.

Græci Oceani Danici inundationes cognoverunt.

Danorum hanc anni ordinationem à Japheto gentis auctore per manus tradita eſſe arbitratur Daniel Angelocrator in Epiſtola ad Senatum Amſterodamenſem præfixa Doctrinæ de ponderibus & menſuris, ubi quoq; ejus rationem reddit accuratam, lubet itaq; ejus diſcurſum hic inſerere.
Ante omnia, inquit, notiſsimum eſt ad Lunæ ortus & occa-
„ ſus, ejusq; incrementa & decrementa Oceanum quoq; pari
„ paſſu moveri, & mutari. Nam ab ortu Lunæ ad occaſum &
„ rurſus ab occaſu ad ortum Mare bis aſcendit ac deſcendit.
„ Iſtum verò motum alterius Lunæ quadrantibus comitatur
„ Ledonis & Malinæ viciſsitudo, quam dicunt: ita ut Ledo cir-
„ ca ſecundum & quartum quadrantem habeat ad ſex horas in
„ inundatione & tantundem in receſſu; Malina autem circa
„ primum & tertium quadrantem per quinq; horas ebulliat,
„ & per ſeptem horas littorum dorſa retegat. Quin tanta eſt
„ concordia & ſympathia inter Lunam & Oceanum, ut ſem-
„ per in puncto dimidiatæ Malinæ Luna jam naſcatur, jam a-
„ dulta, ſeu plena ſit: hoc eſt, Malina tribus admodum diebus
„ & horis duodecim tum ante novilunium tum ante plenilu-
„ nium incipit & pariter tanto ſpacio poſt Lunam novam &

Danica Anni ordinatio à Japheta orta.

" plenam elapſo deſinit. In pleniluniis autem æquinoctiorum
" & ſolſticiorum, ſolito validiores augmentationes & Malinas
" ſeu πλημμύρας oſtendit Mare, ex quarum obſervatione
" annum quoq; Solarem digeſtum cum Lunæ ratione conci-
" liarunt, adeo ut quidam ad Oceani admirabiles ἀυζομειώ-
" σεὶς periodum Enneadecaetericam ab accolis obſervari tra-
" dant. Hac de re Diodorus Siculus lib. 2. cap. 47. Beda Anglus
Tom. 1. & 2. Auguſt. Tom. 3. libro primo de mirabilibus. S.
" ſcripturæ. Hæc Angelocrator.

Caput XII.
De Anni Danici initio.

Varium Anni initium in Dania.

VErum nec hoc omnino caret admiratione, quod eadem gens iisdem legibus ac ritibus devincta, tam varium Anni Juliani habuerit initium, ut ferè incertum dixeris. Diverſos quidem diverſis temporibus annos ſuos inchoaſſe, ut Hebræos ob Æquinoctio vernali, Aſiaticos ab Autumnali, Athenienſes à Solſtitio æſtivo, Romanos ſecundum ductum Julii Cæſaris, à Brumali legimus. Sic enim Simplicius: *Ἃς δέ ἡμεῖς ποιούμεθα ἀρχὰς ἐνιαυτοῦ μὲν περί θερινὰς τροπὰς ὡς Ἀθηναῖοι. ἢ περί μετοπωρινὰς ὡς οἱ περί τὴν νῦν καλουμένην Ἀσίαν. ἢ περί χειμερινὰς ὡς Ῥωμαῖοι. ἢ περί ἐαρινάς ὡς Ἄραβες καὶ Δαμασκηνοί.* At unam & eandem gentem idem Calendarium ſuſcepiſſe, & tamen non iisdem terminis ejus initium adſtrinxiſſe, obſervatu rarum. Quamvis etenim hoc ſeculo à Calendis *Ianuariis* omnes annum inchoëmus, attamen hoc principium non omnes, imo pauci admodum admittunt Faſti. Sunt etenim qui à ſecundo Januarii initium capiant, ſunt qui à feria prima Nativitatis Domini, ut plerique Agricolis Danis familiares, à priſcâ anni formâ nondum diſcedere volentibus. Refert namq; Scaliger loco citato, *Danos veteres principium anni civile ſemper à* XXV *Decemb. cepiſſe, idq; à nocte quæ ſequitur* XXIIII, *in qua antiquitus Chriſtiani hodieq; pervigilia natalitia faciebant.* Addit inſuper. *Eam noctem Modranect.* Beda, *Mædrenech, id eſt matrum noctem appellabant, ob cauſam*

Variarũ gentium annum inchoandi ratio.

Modraneċt.

ſam ut ſuſpicamur ceremoniarum quas in ea pervigiles agebant) vocabant, quaſi illa eſſet parens & princeps omnium reliquarum noctium, utpote à qua caput anni civilis ſumeretur. Principium vero naturale Cycli à Malina Autumni & plenilunio quod in Septembrem cadit. Quod à nocte annum inceperint, non mirum, ſiquidem Annos, menſes & ſeptimanas non per dies, ſed noctes computaverint, quod etiamnum ab Anglis obſervatur. *Sennight, fortnight* id eſt ſeptem noctes & quatuordecim noctes magis uſitate dicunt, quam ſeptem dies &c. Vide Richardum Verſtegan. cap. 3.

Ac quamvis Beda de Temp. ratione cap. 13. hæc Anglis aſcribat, attamen cum à Danis, à quibus oriundi, hauſta ſint, quin *Modraneet* legitimum fuerit anni Danici civilis initium minus dubitamus, præſertim cum illud adhuc Faſti lignei retineant. Quinimo Islandi adhuc (apud quos ut lingva ita ritus priſci ſinceriores magisq; incorrupti extant) annum à Feſto Natalitiorum Domini ordiuntur veteri conſvetudine, quam jus patrium retinere coegit. Per noctes enim Natalitiorum ætas pupillaris in xx numeratur, eorum etiam qui ad perhibendum teſtimonium apti cenſentur, xvi ſc: anno. Sic autem codex habet. *Saa er twitugur ſem hæfur* x x *Iola nætur.* Id eſt Vigenarius vel viginti annos natus cenſetur, qui xx noctes Julias vixit. Etiam viceſimo quarto Decembris natus; qui anni viceſimi noctem unicam, viceſimo quarto & viceſimo quinto Decembris interjectam adeptus eſt. Noctem vero hanc ſingulis annis initialem, non ut Beda Modraneet, ſed *Iolanat* indigetant.

Vetuſtiſſimum Anni Danici initium.

Habent & iidem aliud anni initium ab illo die Jovis, qvum de æſtate ſex hebdomadæ lapſæ ſunt; ad locationes & conductiones fundorum, pecudum & jumentorum accommodatum, *Fardage* dictum, quaſi diem itionum aut commigrationum indicarent.

Sunt & alii faſti Norvagis jam in uſu, qui à die Tiburcio ſacro, quem *Förſte Sommerdag*, ſeu primum æſtatis diem appellitant, annum inchoant. Hic autem dies initium eis præbet anni eò quod:

Förſte Sommerdag.

Omnia tunc rident, tum formoſiſſimus Annus.

Cur Norvagi à die Tiburcii Annũ inchoent.

Incidit enim in XIV Aprilis & ab eo dies horarum multitudine noctes ſuperare incipiunt. Pari namq; modo diem Calixti, qui XIV Octobris, hyemis præbet initium, *Förſte Vinternat* vocant, quod poſt eum dies à noctibus longitudine ſuperentur.

Cur tam diverſũ Anni initium.

Huic circa anni initium diverſitati anſam præbuiſſe videtur, partim Anni Naturalis à Civili diſtinctio, partim quod ante Julianum Calendarium non omnes de Anni initio easdem foviſſe opiniones videantur, quas poſt admiſſum Julianum mutare recuſaverint. Hac etenim lege, tàm Romanorum ſubditi, quàm ſocii & fœderati Julianum Calendarium receperunt, ut menſium appellationes conſvetas, anniq; principia immutata retinerent.

Quomodo Anni forma in faſtis exprimatur.

Univerſa verò Faſtorum noſtrorum compages lignea, totius annui curſus repræſentat ideam, ac plerumq; ita, ut dimidia ejus pars uno claudatur latere, reliqua altero. In iis qui à die Tiburcii incipiunt, dies æſtivi (voce latiuſculè accepta non ſolum pro quarta anni parte, æſtate ſtrictè ſic dicta, ſed etiam Veris & Autumni calidioribus portionibus) priori continentur latere, hiberni poſteriori.

Anni diviſio.

Ac ſi hanc anni diſpenſationem conſideraverimus, non tam de quatuor anni quadrantibus, ex aſtrorum curſibus & Solis in certa ſigna Zodiaci ingreſſu reſultantibus, ſolliciti fuiſſe videntur majores noſtri, quàm de æſtatis & hyemis mutationibus; quas ex ſubtilioribus aſtrorum ſpeculationibus mutuari non erat neceſſe. Idipſum quoque confirmat Beda de temp. ratione cap. XIIII in hunc modum: *Principaliter annum totum in duo tempora, Hyemis videlicet & Æſtatis diſpartiebant: ſex illos menſes quibus longiores noctibus dies ſunt, æſtati tribuendo, ſex reliquas hyemi. Unde & menſem*

Winterſyllit.

quo hyemalia tempora incipiebant, VVinterſyllet appellabant, compoſito novo nomine ab hyeme & plenilunio, videlicet ut à plenilunio ejusdem menſis hyemis ſortiretur initium. Eo etiam reſpexiſſe apparet Joſ. Scaligerum, dum Danos veteres, in duas *Malinas* Autumnalem & Vernalem annum diviſiſſe affirmat.

Ma-

Magle etenim à quo Beda Malinas deduxit, Magnum ſignificat. Si igitur æſtui marino applicetur; magnum æſtum indicat, ſi Anni temporibus, Magna tempora. Malina itaq; hoc loco nil aliud eſt, quam Magna Anni pars. Duæ etenim hæ anni partes reſpectu menſium, ſeptimanarum & dierum, merito Magle ſeu Magnæ appellantur. *Malina Anni.*

Caput XIII.

De Menſibus Danicis.

MEnſes ſolares Danos primitus nequaquam obſervaſſe, abunde ex iis conſtat, quæ de Anno diximus. Quin imò poſt receptum Julianum Calendarium faſtis ligneis inſitos eſſe non facilè dixerim, ſiquidem in omnibus quos hactenus videre contigit, eorum veſtigium non extet ullum. Utpote quorum nec initium, nec finem, nec numerum, nec nomina conſignata reperiam. Julii igitur Cæſaris anno ſolari, menſes Lunares conjunxerunt, utrumq; quantum fieri potuit conciliare volentes. Quod uſque adeo abſurdum non eſt, cum id ipſum alias quoq; gentes factitaſſe conſtet. Hebræi etenim annum ad utriusq; ſideris, Solis ſcilicet ac Lunæ motum deſcripſerunt, cujus Anni menſes merè Lunares, certâ intercalandi lege cũ Sole connectuntur, ut eleganter docet eruditiſsimus Mathematicus Nicolaus Mullerius in Calendarii Romani Iſagoge cap. 14. Immo *Nulla eſt natio*, teſte Scaligero, *quæ quamvis anno Lunari uteretur, tamen & Solaris anni progreſſus interea non obſervaverit.* Lunares itaq; menſes Juliano Anni curſui ſubjunxerunt noſtrates, eo forſan inducti argumento, quod cum initium Anni varium extitetit, menſium ſolarium ſtatum ac fixum tenorem commodè habere non potuerunt, niſi menſis qui aliquibus primus, aliis tertius aut quartus evaderet. Ut taceam, quod quidam non à primo menſis alicujus die, ſed ab octavo, decimo, imò decimo quarto annum inchoare cogerentur. Initio igitur Anni vario, menſium Lunarium

Dani ſolos menſes Lunares olim agnoſcebant.

Menſes Lunares anno ſolari accommodari poſſunt.

Cur menſes Lunares retinuerint Dani.

um inſtabile principium commodè reſpondere videbatur.

Manet unde dictum. Menſem verò à Luna *Maanet* dixerunt, qua voce unum Lunæ per orbitam ſuam curſum quo Solem aſſequatur indicarunt, qui menſis eſſet menſura. Quamvis etenim comuni loquendi uſu quatuor ſeptimanæ ſeu XXVIII *Menſis vulgaris.* dies pro menſe etiamnum habeantur, attamen horum hic tanta non habetur ratio, quanta Synodicorum, quorum dies non aliter quam beneficio Cycli, tam Solaris quam Lunaris computant. Ille etenim principium, medium & finem, hic intermediorum dierum numerum exhibet.

Cumq; Lunarium menſium varia genera proponant *Menſes Synodici in faſtis.* Aſtronomi, Synodicos potiſsimum (ut dixi) in uſu hic fuiſſe apparet, 29 diebus, 12 horis. 44 Min. 3 Secund. 12 Tert. conſtantes, quorum duodecim annum complent cum undecim diebus, quos Epactas vocare conſveverunt, quibus annus Lunaris communis, à Solari communi ſuperatur. Hi verò menſes Synodici cum illuſtres ſint, ac facile in oculos vulgi incurrant, faciliores quoq; obſervatu fuere. Creſcentem itaq;, decreſcentem & plenam ſuis faſtis inſerere Lunam, ob inſignem ejus in inferioribus hiſce vim & efficaciam, operæ putarunt precium. Utpote qui non ſolum ſecundum ejus coitum, quadraturas vel Oppoſitiones, opera ſua diſpenſant; ſed ex iisdem de totius anni temperie, ac futuris aeris mutationibus varia prædicere poſſunt, hac in re nullis, ſive Græcis, ſive Latinis cedentes Geoponicis.

CAPUT XIV.

De Menſium nominibus Danicis.

Siqnidem jam conſtet quænam ſit menſium in Faſtis noſtris conſignatorum idea; ut Nominum quibus & jam & olim à noſtratibus inſigniti fuerunt, pari ratione curam habeamus, ab inſtituto noſtro haudquaquam alienum eſſe putamus. De antiquioribus autem & priſcis appellationibus ita diſſerit Beda de Temp. ratione cap. XIII.

Anti-

Angli, ab Angeln Cimbrorum oriundi.

Antiqui Anglorum (qui ſcilicet ab Angeln Cimbrorum, in Angliam ſecum lingvam Danicam ac Cimbricam detulerunt) *juxta curſum Lunæ ſuos menſes computavere: unde & à Luna Hebreorum & Græcorum more nomen accipiunt. Siquidem apud eos Luna Mona, Menſis Monath appellatur. Primusq́ eorum menſis quem Latini Ianuarium vocant, dicitur Guili. Deinde Februarius, Solmanath: Martius Rebdmonath: Aprilis, Eoſturmonath: Majus, Trimilchi: Iunius, Lida: Iulius ſimiliter Lida: Auguſtus, Vueidmonath: September, Halegmonath: Octobeer, VVynthyrfyllith: November, Blothmonath: Decēmber, Guili eodem nomine quo Ianuarius vocatur.* Et paulo poſt: *Cum verò Emboliſmus, hoc eſt XIII menſium Lunarium annus occurreret, ſuperfluum menſem æſtati apponebant ita ut tunc tres menſes Lida vocarentur, & ob id annus ille, Trilidi cognominabatur.* Sed quemadmodum Beda non abs reduxit, quid menſium nomina ſignificent interpretari: ita nec nos abs re ducimus verba Bedæ integra hic aſcribere, noſtrasq́ue ſimul conjecturas apponere, ut quivis Danica hæc eſſe fateatur.

Menſium nomina Danica antiqua.

Annus Trilidi.

Guili.

Menſes Guili à converſione Solis in auctum diei, quia unus eorum præcedit, alius ſubſequitur, nomina accipiunt. A Solſtitio hiberno, ni fallor, quod tum Sol quaſi quieſcere videatur, antequam ad Æquatorem propius accedat. *Huile*, etiamnum apud nos quietem denotat, ut, *at huile*, quieſcere, facilis autem mutatio H. in G. Cum in ordine alphabetico vicinæ exiſtant, ac creberrimè talium permutationem Typothetæ feſtinans committat manus etiam in aliis. Quod ſi cum Scaligero *Giuli* legas, non incommodè à feſto, quod tum temporis à noſtratibus celebrabatur ac etiamnum *Iuel* vocatur, derivabis. Sed Bedæ etymon commodius videtur, ſiquidem feſtum Juel à Julio Cæſare primum ad nos defluxiſſe ſupra oſtenſum.

Huile.

Solmonat.

Solmonat dici poteſt menſis placentarum, quas Diis ſuis offerebant. Forſan à Sole qui Danis *Soel*, eo quod benignioribus ſuis radiis frigora diſpellere ac propius quaſi accedere inceperit. Hac enim de cauſa à Suppolaribus adorari docet Olaus Magnus Lib. 3. cap. 2.

Rhedmonat.

Rebdmonat à Dea illorum Rheda, cui in illo ſacrificabant, no-

Rhea.

minatur. Nec incommodè à *Reden* ſive *at Rede* vel præparare, quæ vox nauticis imprimis præparationibus accommodari ſolet. Circa hoc enim anni tempus ad navigandum ſe præparare ſoliti ſunt mercatores & nautæ. Imò ipſi Reges. Teſtis namq; Vegetius lib. 4. cap. 39. *Navigationis natalem quot annis ſolenni certamine publicoq; ſpectaculo multarum gentium VI. Idus Martias celebrari ſolitum.* Quod confirmat quoq; Scaliger in prolegomenis Iſagogicis, cum inquit: *Quamvis poſt annos CXX maxima πανήγυρις ἐποχῆς celebraretur, tamen non dubium, quin quotannis & quædam inſtauraretur, ut non niſi poſt illam ulla belli expeditio ſuſciperetur.*

Navigationis Natalis.

Eoſturmonat.

Eoſturmonath, qui nunc Paſchalis menſis interpretatur, quondam à Dea illorum quæ Eoſtre vocabatur, & cui in illo feſta celebrabant, nomen habuit: A cujus nomine, nunc paſchale tempus cognominant, conſueto antiquæ obſervationis vocabulo, gaudia novæ ſolennitatis vocantes. Adhuc haud infrequens apud nos eſt nomen fœmineum Eſtrid, à quo cognomen mutuari haud veritus eſt magnanimus ille *Sveno Eſtritius*, qui labore haud exiguo ad Regium culmen aſcendit tandemque Regnum avitum recuperavit.

Eoſtre.

Eſtrid.

Trimilchi.

Trimilchi dicebatur quod tribus vicibus in eo per diem pecora mulgebantur. Talis enim erat quondam ubertas Brittanniæ, vel potius Germaniæ, è qua in Brittanniam, natio intravit Anglorum. Imò jam eſt Daniæ, unde etiamnum butyrum hoc menſe (Majo enim reſpondet) collectum, noſtrates & magni faciunt & copioſius venum aſportant.

Lida.

Lida dicitur blandus ſive navigabilis, quod in utroq; menſe, & blanda ſit ſerenitas aurarum, & navigari ſoleant æquora. Liden nobis parvum, aut montis jugum denotat, hinc forſan hi menſes Lida vocati, quod Sol jugum Zodiaci, in iis aſcendendo & peragrato Cancri ſigno, in Junio deſcendendo dies reddat minores.

Wendenmonath.

Weidemonath.

VVendemonath menſis Zizaniorum, quod ea tempeſtate maximè abundent. At ſupra *VVeidemonath* vocavit, non incommodè, *At weide* etenim, feras mactare & capere ſignificat, quod & tum fieri ſolet.

Hale-

Halegmonath menſis ſacrorum. Sic nos ſacrum vocamus *Hellig.* *Halegmonath.*

VVinterfyllet, ac ſi dicas compoſito nomine hyemeplenium. Nos quoq; hyemem *VVinter, at fylle* implere dicimus. *Winterfyllet.*

Blothmonat, Menſis immolationum, quod in eo pecora quæ occiſuri erant, Diis ſuis voverent. A *Blod,* quod ſangvinem indicat, qui etiamnum hoc menſe effundi ſolet, dum pecora ad familiam per annum alendam hoc tempore mactamus. Quia verò veterum ſacrificia & immolationes, non ſine ſangvinis effuſione peragebantur, hinc factum ut *at blotte* ſacrificare denotaret, *Bloth* autem ſacrificium, unde menſis hujus etymon. Hactenus veteres Menſium Lunarium etymologias juxta Bedæ aſſertionem perſecuti ſumus, quibus modernas ſubjungere, forſan non injucundum erit, ut quantum à priſco ſeculo etiam in nominibus defecerimus, palam fiat. *Blotmonat.* *Menſium nomina moderna.*

Cimbricæ Cherſoneſi incolæ, quos Plinius lib. 4. Nat. Hiſt. cap 14. *Guttones*, nos jam *Iutos*, antiquitus verò *Gutos* vocabant, ut ex diplomate Woldemari I. conſtat, quod antiquitatum Danicarum promus condus, illuſtris Heros CHRISTIANUS FRISIUS de Kragerup, Regiæ Majeſtatis Cancellarius & Eques auratus &c. benignè videndum conceſsit. Cui ſubſcribunt Leges Edvardi Regis Angliæ in hunc modum: *Guti vero ſimiliter, cum veniunt ſuſcipi debent, & protegi in regno iſto ſicut conjurati fratres, ſicut propinqui & proprii cives regni hujus. Exierunt enim quondam de nobili ſangvine Anglorum, ſcilicet de Engra civitate, & Angli ci de ſangvine illorum, & genus efficiuntur populus unus & gens una. Ita conſtituit optimus Ina rex Anglorum, qui electus fuit in regem per Angelum &c.* Hi inqvam qvibus menſes Lunares in faſtis conſignati etiamnum in uſu ſunt, hoc pacto eos indigitare ſolent. Primum *Diur Rey* ſeu *Renden* vocant, quod tum feræ in venerem (quod noſtrates dicunt at løbe i Ryd) agantur ac mares è feris curſibus fœminas proſequantur. Ea enim Luna quæ ſe primum poſt novi Anni auſpicium vilendam præbet, menſem Lunarem primùm conſtituit. Secundum *Thormaen* à Thorrone Deo, multis ſuperſtitionibus in hiſce oris à gentilibus *Cimbri Iuti. Guti.* *Diur Rey. Renden.* *Thormaen.*

coli ſolito. Quanquam ſint qui primum menſem ita dictum arbitrentur; ſic namq́ue Arngrimus Islandus Crymogeæ lib. 1. cap. 4. *A Þorre (quem Thorronem) Gotlandiæ, Finlandiæ, Kuenlandiæ Rege &c. Menſis Novagorum & nunc Islandorum nomen habet Thorre, qui in Calendario Iuliano incipit* 10. 11. 12. 13. 14. 15. *vel* 16. *Ianuarii: Habet enim initium mobile, pro Calendarii illorum ratione.*

Thorre.

Quod quia mirum fortaſsis cuipiam videri poſsit, ſubjungam rationes ejus rei quas ipſe autor ad me perſcripſit. Þorroni menſi ſuum initium deſcripturus, idq́; leviſsimo negotio, his ſervatis regulis illud præſtabo. I. Feria VI. hebdomadæ, quæ eſt dies Veneris Þorroni menſi (alias *Midvinter Maaned*) dat initium, ille videlicet dies Veneris, qui feſtum trium Regum, mediante unico die Mercurii proxime ſeqvitur: niſi feſtum illud in feriam tertiam, id eſt diem Martis incidat: tunc enim duo dies Mercurii interjecti numerantur. II. Conſtat Þorre viginti novem diebus: eadem feria hebdomadæ finiendus quo cæpit: ſed dies Saturni immediate ſubſequens eidem Menſi aſcribitur, vocaturq; *Þorra Þræl.* Torronis ſervus. Quis enim regem Torronem ſine ſervo agnoſcat? ut ita dies craſtinus qvi Solis eſt, Goeam menſem inchoet pari dierum numero finiendum. Quæ Goea, utpote Regis filia etiam ſervo gaudet; dicto *Gov Þræll,* qvi eſt dies Lunæ, & à Gojæ initio triceſimus. III. Atq; perinde feria tertia id eſt die Martis menſis *Einmanndur* ſic dictus (qvod de hyeme unicus reſtet ad æſtatis initium) incipit, & tandem lapſis XXIX. diebus completur: ſed ita ut more ſuperiorum feriam qvartam id eſt diem Mercurii ſervi loco adſiſcat; & tum craſtinus, hoc eſt proximus dies Jovis, initium conſtituit æſtatis: nobis aliqvando hyeme ipſa acerbius. IV. Sin pro æſtatis initio majus compendium quis eligat, bini dies Jovi aſsignati, inter hoc & feſtum annunciationis ſemper præmiſſum numerandi ſunt. Vel adhuc compendioſius: Tertius à feſto Annunciationis ſive XXV Martii, dies Jovis, æſtatis perpetuum eſt initium, ut in Octobri dies Veneris, Calixto proximus, hyemis, ante vel à tergo. Hactenus Arngrimus, eo fuſius qvod uſum habeant inſignem in Cyclis, de qvibus ad calcem libri tertii differendum.

Ratio initii menſis Thorre.

Ter-

Tertium Menſem *Faremaen*, à proficiſcendo: *At fare* proficiſci ſignificat, qvod tum navigationibus ac itineribus tempus ſit oportunum, depulſis frigoribus hyemisq; auſteritate, vel à *Faar*, qvod oves notat, tum enim tenerioribus graminibus non incommodè committuntur. Quartus *Maymaen*, non quidem à Majo Latinorum, aut Maja; ſed à Danico *at maye*, qvod frondibus viridioribus ac floribus ornare ſignificat, qvod ſua amœnitate abundè præſtat hic menſis. Alioqvin *en Mae* pratum viride in loco uliginoſo ſitum denotat. Quintus *Sommermaen* ab æſtate. Sextus *Ormemaen* à vermibus & inſectis, qvorum tum ingens proventus animalia reliqva infeſtare ſolet. Septimus *Höemaen* à fœno, quod circa hoc tempus ab Agricolis colligi ſolet. Octavus *Kornmaen* à frugibus, quæ hoc menſe convehuntur & in uſum aſſervantur. Nonus *Fiskemaen*, qvaſi Lunam piſcationibus idoneam diceres. Decimus *Sædemaen* à ſerendo; ſiliginem etenim ſub hac Luna terræ mandare ſolent. Undecimus, *Pólſemaen*, à far ciminibus, hæc enim Luna pecudum mactationi idonea cenſetur. Duodecimus *Iulemaen* à feſto Julii, qvod jam Nativitati Servatoris noſtri Jeſu Chriſti eſt dicatum. Huic verò feſto duodecim integros dies attribuerunt, qvorum ſex in Decembrem, ſex in Januarium cadunt, ex qvibus de duodecim totius anni menſium ſerenitate & temperie conjecturam etiamnum capiunt Agricolæ noſtri.

Faremaen. at Fare. Faar. May. at maye. Mae. Sommermaen. Ormemaen. Höemaē. Kornmaen. Fiskemaē. Sedemaē. Pólſemaē. Julemaē. Prognoſtica Natalitia.

In menſibus Lunaribus hoc obſervandum, qvod Solaribus exactè non reſpondeant. Nam primus incidit in Januarium & Februarium, Secundus in Februarium & Martium, ac ſic conſeqventer, partem ab uno Solari, partem ab alio deſumens; niſi accedat Embolismus qvi uno ſolari totus clauditur. Quod ſi annus fuerit Embolismus ac decimatertia acceſſerit Luna ſeu menſis Lunaris; *Sildemaen*, ſeu tardam Lunam vocant, qvod tarde veniat, vel rarior ſit cæteris.

Sildemaē

Menſes Solares qvibus jam vocemus nominibus ex vulgatis conſtat Calendariis; ſed cum in faſtis noſtris locum non inveniant, nuda nomina recenſere ſuffecerit, cum plerorumque etymologiæ ex dictis pateant. Januarium itaq; *Glugmanet*

Menſium ſolarium nomina moderna

vocant. *Gluggur* antiqvis feneſtram domus vel antri, vel glaciei, vel rarefactarum nubium denotat: ſic in Norvegia hodie dicuntur *ut ligge for Glugg*, qvi cavernis incluſi, per feneſtram feris inſidiantur. Sic igitur à feneſtris domuum per brumam clauſis & mox aperiendis, denominari videtur *Glugmanet*. Vel qvod hic menſis novo anno qvaſi feneſtram aperiat. Februarium *Blidemanet*. Martium *Tormanet*, de qvo ita Galli:

Mars venteux, & April pluvieux,
Font le May gay & gracieux.

Aprilem *Faremanet*. Hinc Proverbium:

Aldrig vaar Fare ſaa bóſs,
Hand gaff jo Lóff oc Græſs.

Aperiens terram ſine gramine non venit unqvam.

Majum, *Maymanet*. Junium, *Skerſommer*. Julium, *Ormemanet*. Auguſtum, *Hóſtmanet*. Septembrem, *Fiskemanet*. Octobrem, *Sedemanet*. Novembrem, *Slactemanet*. Decembrem, *Chriſtmanet*. Quatuor primos Dani ſeptentrionales & Scani hoc ordine recenſent 1. *Glug*. 2. *Góje*. 3. *Thor*. 4. *Blidel*, &c. ſecundum cum epitheto *gorefylle*, qvod germinibus campos repleat: qvo ſenſu & Galli de Februario;

Februer le court,
Eſt le pir de tout.

Saxonũ priſcorũ nomina menſium

Richardus Verſtegan, priſcis Saxonibus alias fuiſſe menſium appellationes cap. 3. docet. Janvarium enim *VVolffmonath* dictum cenſet, qvod hoc tempore Lupi hominibus & armentis magis infeſti. Februarium *Sprout-kele* à Braſsica olere ſeptentrionalibus maxime familiari, qvod tum germinare ſoleat. Martium *Lentzmonath* qvod tum dies longiores reddantur. Aprilem *Oſtermonath* à paſchatos feſto qvod Saxonibus *Oſtern* dicitur, qvidam à ventis orientalibus qvi hoc tempore flare ſolent. Majum *Trimilki*, qvod vaccæ ter indies hoc menſe mulgeantur. Junium *VVeidmonath*, qvod paſcuis boves comittantur. Julium *Heuwmonath* à fœni collectione. Auguſtum *Arnmonath*, qvod horrea ſegetibus impleantur. Septembrem *Gerſtmonath*, qvaſi hordei dicas menſem

ſem, Octobrem *VVynmonath* à vindemiis, Novembrem *VVintmonath* qvaſi ventis tempeſtuoſum, qvi nautis infeſtus naves portubus tutari ſvadet. Decembrem *VVintermonath* ab hyemali frigore. Sed mihi recentiora menſium nomina cum vetuſtioribus confundere videtur.

Svecus qvidam primum vocat ᚦᛆᚱᛆ Thora. 2. ᚠᛆᛁᛆ Goja. 3. ᛒᛚᛁᚦᛆ Blida. 4. ᚢᛆᚱᛆᚿᛐ Varant. 5. ᛘᛆᛁᛁ Maij. 6. ᚼᚯᚢᛁᛚᛐ Hovilt. 7. ᚼᚯᛆᚿᛐ Hóant. 8. ᛋᚴᚯᚱᛐᛆᚿᛐ Skórtant. 9. ᚼᚯᛋᛐᛘ. Hóſtmonat. 10. ᛋᛚᛆᚼᛐ-ᛘ. Slachtmonat. 11. ᚢᛁᚿᛐᚱ-ᛘ Vintermonat. 12. ᛁᚢᛚᛆ-ᛘ Jylamonat. Secundum verò menſem *Goje* à Goea, qvam Thorronis filiam fuiſſe memorant, dici volunt. De hac verò Goeâ ita Arngrimus Crym. lib. 1. cap. 4. *Extat qvoq; de Nori ſorore Goea Thorronis filia, ad qvam raptu ſublatam furtivo, recuperandam Norus à patre miſſus eſt. Qvod ut felicius ſuccederet nova Diis ſacra Thorro inſtituit, menſe priorem illum (Thoram poſtea dictum) proxime ſecuto, eundemq; menſem a filia Goes nomine, Goam inſignivit, qvod menſis nomen ſimiliter moderni retinent Islandi.*

Menſium nomina Svetica.

Goea, qvæ fuerit.

Hiſtoria Norvagica Snorronis Sturlæ, in geſtis Olai Haraldi refert in Svecia ſingulis annis Goeæ ſangvine litari conſvetum fuiſſe, ut pacem & victoriam Regi ſuo impetrarent. Sed ex eo qvo ſacris Chriſtianis initiati fuere, in ejus locum nundinæ ſucceſſere, qvas integra ſeptima celebrarunt, ex qvavis regni provincia congregatis haud paucis.

Monuit verò Clariſs. Arngrimus Islandicas hic allegatas mẽſium appellationes neqvaqvam priſcas eſſe, ſed ſuo ævo à Dn. Olao Gudmundi excogitatas, eo qvod nomina antiqva paucorum ſaltim menſium haberent. Qui idem Olaus pro ſingulis diebus anni Rhithmos vernaculos Ciſiojani loco compoſuit, ac operas ruſticas aliqva ex parte attigit.

Quas Carolus Magnus Germanis præſcripſerit Menſium appellationes docet Eginhardus in ejus vita: *Menſium,* inqvit, *etiam juxta patriam lingvam nomina impoſuit, cum ante id tempus apud Francos partim Latinis, partim barbaris nominibus appellarentur & menſium quidem Ianuarium appellavit VVintermonat, Februarium Hornung; Martium Lentzmonat. Aprilem Oſtermonat.*

nat, Majum VVunnemonat, Iunium Brachmonat, Iulium Hewmonat, Auguſtum Arntmonat, Septembrem Herbſtmonat, Octobrem VVinmonat, Novembrem VVindtmonat, Decembrem Helligmonat appellavit.

Totam hanc nominum varietatem ſeqventi Tabella ob oculos ponere lubet.

NOMINA
Menſium.

Lunarium. Danica

	Antiqva	Moderna.
I	Guili poſterior	Julemaen
II	Solmonat	Diur Rei Renden
III	Rhedmonat	Thormaen
IV	Eoſturmonat	Faremaen.
V	Trimilchi	Maji
VI	Lida I.	Sommermaen.
VII	Lida II.	Ormemaé Madkem.
VIII	Lida III. Embolimus	Overlóbsmaen.
IX	Weidmonat Wendenm.	Hoemaen
X	Halegmonat	Kornmaen
XI	Winthyrfylleth	Fiſkemaen
XII	Blothmonat	Sædemaen
XIII	Gvili prior	Polſemaen

Solarium.

Latina.	Danica.	Islandica.	Svetica.	
December	*Chriſtmanet*	*Skamdeiges Manudar*	*Jylamonat*	12.
Januarius	*Glugmanet Iumanet*	*Midſvetrar Man.*	*Thora*	1
Februari⁹.	*Goje Blidemanet*	*Fô Ingangs Man.*	*[illegible]ja*	2
Martius	*Thormanet*	*Ianſſndegra Man.*	*Blida*	3
Aprilis	*Faremanet*	*Sumar Man.*	*Varant*	4
Majus	*Maymanet*	*Fardaga Man.*	*Maji*	5
Junius	*Skerſommer*	*Nottleyſu Ma.*	*Hovilt*	6
Julius	*Ormemanet*	*Madka Man.*	*Höant*	7
Auguſtus	*Höstmanet*	*Heyanna Ma.*	*Skortant*	8
September	*Fiſkemanet*	*Addraata-Man.*	*H[illegible]ilmonat*	9
October	*Sædemanet Rindmanet*	*Slatrunar-Man.*	*lactemonat*	10
November	*Slagtemanet V[illegible]interman*	*Rydtydar-Man.*	*[illegible]intermonat*	11

Ca-

CAPUT XV.

De Septimanis.

SIqvidem *Septimana res ſit* (ut inqvit Scaliger de emend. temp. Lib. 1.) *Omnibus qvidem Orientis populis ab ultima usq; antiqvitate uſitata, nobis tamen Europæis vix tandem poſt Chriſtianismum recepta;* non mirum haud aliter, qvam ſeptem literis Dominicalibus ex cyclo Solari deſumptis in faſtis noſtris exhiberi. Nec qvicqvam peculiare circa eam noſtrates obſervaſſe reperire adhuc licuit, niſi qvod inveniam in antiqvioribus faſtis etiam exaratam fuiſſe literis ipſis Runicis, qvas ante veri DEI cultum majores noſtros obtinuiſſe eſt in confeſſo. Eam autem, ut gentes plæræqᵫ ex ſeptem conflarunt diebus, qvos junctim, *en VVge* dixerunt, etymo nobis adhuc incerto. Antiqvitus *en vika* dicta videtur ſeptimana, hinc & diem Mercurii, eo qvod ſeptimanæ medius ſit ᛘᛁᚦᚢᛁᚴᚢ appellatum reperio. Diebus autem ipſis ex qvibus Septimana conſtat, peculiaria indiderunt nomina, à Numinibus qvæ priſci Septentrionales divino ritu coluerunt, mutuata, vel qvod unicuiq; diei ſuum ex iis præſidem elegerint, vel qvod ſacra iis fieri conſveta, neceſſario diebus cuiq; dicatis peragi deberent.

Septimana novũ inventũ Europæis | *Ugen* | *Vikan*

Primum itaq; *Soli* nuncuparunt, tanqvam Deorum ſplendidiſsimo, benigniſsimo, & amica illuſtratione cuncta foventi, unde & *Soldag* eundem dixerunt. Quam vocem vicinitate ſua Germani (ut alias multas) corruperunt, ut Germanico potius qvam Danico vocabulo *Sundag* jam appelletur. Solem etenim qvem nos *Solen*, illi *die Sun* dicunt: qvo etiam nomine Danos Meridionaliores, Freſones ſc. & Anglos, eodem ſignificatu uti accepimus. Islandi qvinetiam Solem *Sunna* vocant, unde ortam vocem vero ſimilius. Niſi à placando qvis tractum arbitretur, qvia *At Sóne*, placare Danis dicitur, unde *Sóndag* ſeu dies placationis.

Dierum Nomina. | *Soldag.* | *At Sóne.*

Huic proximum *Maendag* qvaſi diem Lunæ diceres, vocarunt; Luna etenim nobis *Maan*, unde *Maanet* menſis, qvi

Maendag.

antiqvitus apud noſtrates à Lunâ dependebat. Atq; hos qvidem dies priores, iisdem Diis qvibus Romani ſuos conſecrarunt. *Solem etenim & Lunam aliosq́ vanæ religionis Deos eos adoraſſe* refert belli Dithmarſici ſcriptor Cilicius.

Tiisdag. Tiis qvis. Teves Tevtades.

Tertium *Tiisdag* dictum voluerunt ab Idolo qvodam, noſtratibus *Tiis*, Anglis *Tevs*, unde *Tevesdai* qvi nobis *Tiisdag*. Latini *Tevtadem* vocaſſe videntur, Sic enim Lucanus Lib. I. Pharſaliæ, dum populos inter qvos hibernabant Romani, cum ad Cæſarem vocarentur, recenſet.

Et qvibus immitis placatur ſangvine diro,
Tevtades horrensq́ feris altaribus Heſus.

Lactantius Lib. 7. *Galli Heſum atq́ Tevtadem humano cruore placabant Deos: qui ſane feralis ritus diu ſimiliter apud Italos ſtetit, qui latialem Iovem & Saturnum humana placabant hoſtia.* Hinc non abſurde colligit Lilius Gregorius Gyraldus Syntagm. 9. Tacitum ubi de Germanis loqvitur, atq; inqvit: *Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis qvoq́ hoſtiis litare fas habent:* de Tevtade intelligi: qvod priſcis temporibus ex parte Galli fuerint Germani. Livius qvoq; Libr. 6. tertiæ decadis, in oppugnatione novæ Carthaginis hæc habet: *Qvod ubi Scipio in tumulum obverſus, qvem Mercurium Tevtadem appellant, advertit multis partibus nudata deſenſoribus mœnia eſſe, &c.* Nec abſimile nomen ab aliis gentibus ſortitus eſt Mercurius. Nam ab Alexandrinis dictus eſt *Thoth*, teſte Evſebio de præparat. Evang. ab Ægyptiis vero *Thoyth*. Quod Plato & Cicero referunt, à qvo & primus menſis, id eſt September appellatur. Plato *Theuth* vocaſſe videtur. In Phædro enim Socratem ita loqventem introducit: *Audivi eqvidem,* inqvit, *circa Naucratem Ægypti priſcorum qvendam fuiſſe Deorum, cui dicata ſit avis, qvam Ibin vocant, Deo autem ipſi nomen Theuth. Hunc primum numerum & computationem inveniſſe, Geometriam & Aſtronomiam, talorum inſuper alearumq́ ludos, literas, &c.* De eodem in Philebo etiam egit. A Phœnicibus *Thaautus & Thautus* dictus eſt idem, ut docet Lilius Gregorius Gyraldus.

Prope Roeſchildiam Selandiæ, pagus extat *Hvedſtrup*, cui vicina conſpicitur in colle ara, cum ſangvinis receptaculo aliisq;

isq; eó ſpectantibus, qvam huic *Hveſoni* ſeu *Heſoni* (unde pa- *Heſus*
gus nomen accepit) dicatam putant viri antiqvitatum noſtra- *Hveſus.*
rum peritiſsimi. Tevtadem verò eundem cum Mercurio; Heſum eundem cum Marte fuiſſe, exiſtimant Sulpitius Verulanus, & Johannes Baptiſta Pius in hunc locum. In qva opinione etiam eſt Lilius Gyraldus. Legitur & apud Ciceronem de Natura Deorum *Eſi* nomen ſine aſpiratione, cum inqvit: *Qui ſi Deus eſt & Orpheus & Eſus Dei ſunt*, pro qvo Gyraldus *Rheſum* legendum cenſet, qvem qvidam Evterpes, qvidam Terpſicore filium fuiſſe perhibent. Richardus Verſtegan Anglus, à Tuiſcane Germanorum progenitore hujus diei nomen tractum vult, eo qvod Anglis dicatur *Tuisdag*.

Nec deſunt qvi hunc diem judiciis forenſibus & ſententiis proferendis dicatum, ac ex eo nomen traxiſſe exiſtiment; qvaſi *Tingsdag* vel à Germanorum Dingsdag literâ unicâ *Tingsdag.*
mutata. Hi qvamvis diei etymon attigiſſe videantur, attamen cauſas adferunt rationi minus conſonas. Quid enim Da- *Thisdag*
nos ut rerum, ita nominum ubertate ditiſsimos, à Germanis *quare à*
nomina mutuare & propria ἐμφατικότερα negligere coegiſ- *judiciis*
ſet? Rectius igitur ii, qvi à *Diſa* ſeu *Thiſa* Dea judiciis forenſi- *forenſib.* *ſic dicta.*
bus & juſtitiæ præfecta, nomen huic diei impoſitum ſentiunt. *Diſa.*
Hujus namq; rei præclarum extat in Saxo Orethingburgenſi *Inſcri-*
veſtigium, quod olim in medio fori Orething dicti poſitum, *ptio Saxi*
nunc vero juſſu & authoritate illuſtris & generoſi Dn. CHRI- *Orethin-*
STIANI FRISII de Kragerup, Equitis aurati & Cancellarii *burgen-*
Regii, in arcem Orethinganam translatum eſt. Cujus (quan- *ſis.*
tum quidem capere licuit) hæc ex inſcriptio:



ᛂᚠᛏᛂ ᚦᛁᛋᛆ ᛚᛘᚠᚴᚢᚱ ᛏᚱ *Efte Thiſa lougeur ter*
ᚠᚴᚢ ᚴᛁᚱᚦᛁ ᚦᛁᛆ ᚼᛁᚦ. *geu kerdi dia hid.*

Quia leges Thiſæ in pretio habendæ; huc querelæ adferuntur.

Vide Monumentorum Danicorum librum ſecundum. Per totum præterea Septentrionem nundinas & ſolennia judicia *Diſting* dicta, in ejus honorem celebrata eſſe, memorant antiquitates Danicæ: imo & ſacrificia annua. Referunt namq; annales Norvagici M. S. Regem xxII Adels dictũ cum ſacrificiis *Diſæ* interfuiſſet ab equo cui inſidebat excuſſum ad lapidem caput ita offendiſſe, ut ex vulnere obierit. In Sælandia Daniæ pagus extat, non procul Fridricsburgo *Thiſe velde* dictus, quaſi fons & ſcaturigo Thiſæ, ubi jam S. *Helenæ kilde*, quò & hodie multi confugiunt loturi, ut à morbis liberentur. Hanc autem Diſam Thori, Friggam Otthini uxores fuiſſe referunt membranæ Norvagicæ. A tempore quoq; derivari poteſt, cujus cum magnam vim & efficaciam ſentiſcerent, illud honoribus divinis haud indignum arbitrati ſunt. Arngrimus ab idolo *Tyr* dicto, diei nomen depromit, diſtincte etenim in antiquitatibus Islandicis *Tyrsdagur* legi aſſerit. Fuit autem *Tyr* Odini filius, adeo ſapientia præſtans ut ab illo dici cœperit *Tyrſpakur*, ut quiſq; erat ſapientiſsimus (*ſpakur* idem quod ſapiens, *ſpeke* ſapientia) adeo quoq; infracto animo & audax, ut ab ejus nomine invaluerit *Tyrhrauſtur*, (*hrauſtur* fortem notat tam animo quam corpore) Huic tam egregio viro, poſt fata divini honores decreti ſunt, eiq; ſupplicationes factæ pro victoria ſive ſingulari certamine, ſive aliter pugnandum fuerat. Unde (velut Marti) tertia feria hebdomadæ, huic *Tyr* aſsignata fuit. Hæc Arngrimus veterum decretis & fabulis haud abſona.

Diſting.

Tidsdag.

Tyrsdag

Tyr.

Tres inſequentes illis adſcripſerunt, qui magicis machinationibus aliisq; præſtigiis diabolicis, Divinitatis honorem in hiſce Aquilonaribus regionibus acquiſiverunt. Quem itaq; Latini Mercurio, Septentrionales *Otthino*: quem illi Jovi, hi *Thoro*: quem illi Veneri, hi *Friggæ* devoverunt. Hinc *Onsdag* quaſi

Onsdag.

quaſi *Othinsdag*, *Thorſsdag*, *Fredag* ortum traxere. Cujus rei *Thor.*
teſtis locuples eſt Saxo noſter, dum lib. 6. ſic inquit: *Olim qui-* *Othinus.*
dam magicæ artis imbuti Thor videlicet & Othinus aliiq́ complures
miranda præſtigiorum machinatione callentes, obtentis ſimplicium a-
nimis divinitatis ſibi faſtigium arrogare cœperunt. Quippe Norvagi-
am, Sveciam, ac Daniam vaniſſimæ credulitatis laqueis circumventam
ad cultus ſui pendendi ſtudium concitantes, præcipuo ludificationis ſuæ
contagio reſperſerunt. Adeo namq́ fallaciæ eorum effectus percrebuit,
ut in ipſis cæteri quandam numinum potentiam venerantes veneficio-
rum autoribus ſolennia vota dependerent & errori ſacrilego reſpèctum
ſacris debitum exhiberent. Quo evenit, ut legitima feriarum ſeries a-
pud nos eorundem nominibus cenſeantur, cum ipſis Latinorum vete-
res, ſive à Deorum ſuorum vocabulis, ſive à ſepteno planetarum nu-
mero nuncupationem ſingulatim adaptaſſe noſcantur. Thor inquit
Saxo, quia diverſi fuere Thorus Þor & Thorro Þorre: hic in-
digena Rex Bothniæ vel Nordbothniæ ut apud Arngrimū in
Crymogæa: ille extraneus Odini filius Aſiaticus ut poſteam
monebimus.

Othinum etiam *Vodanum* dictum ex Paulo Diacono colli- *Vodanus*
gere licet: lib. 1. cap. 8. ubi ſic inquit: *Accedentes VVandali ad*
VVodan victoriam de VVinilis poſtulaverunt &c. Sic etiam Ethel-
verdus citante Cambdeno: *In tanta ſeductione oppreſſi ſunt Aqui-*
lonares increduli, ut wodan ſicut dominum colant in hodiernum diem
Dani, Normanni & Suevi. Et alibi: *wodan Barbari ut Deum ho-*
norarunt ſacrificiumq́ obtulerunt pagani, victoriæ cauſa ſive virtutis.
Gotfridus Viterbienſis in Pantheo parte 17. *Godan* vocat, loco
mox aſsignando. Ejus effigiē in hunc modū exprimit Adam.
Bremenſis: *VVodan vero ſculpunt armatum, ſicut noſtri Martem*
ſculpere ſolent. Thor autem cum ſceptro Iovis exprimere videntur.
Unde etiamnum Cimbris *VVonsdag* dictus eſt ſeptimanæ *wonsdag*
quartus. Eſt præterea ab hoc Vodano, vox *Vode* quæ perni-
tiem & periculum indicat. Islandis quin etiam *Oden* pro Dia-
bolo jam capitur, ut in imprecandi formulis *Odenn eigie dig*,
Odinus te poſsideat. Item *far du til Odens* Vade ad Odinum ſi-
ve in malam rem. Item *Hvada Odens latum*? Quid hoc mali
eſt? Hunc eundem diem aliàs noſtratibus *Midviku*, quod ſe- *Midviku*

ptimanæ medius ſit, dictum colligo ex libri tertii Faſtis, ubi inter cætera hæc reperio.

ᚦᚱᛁᚦᛁᚢ. ᛒᚢᚱᛁᛅᛋ. ᛅ.ᚾᛁᛋᛏᛅ.	*Thridiu Byrias a neſta*
ᛘᛁᚦᚢᛁᚴᚢ. ᛏᛅᚼᛁ. ᛁᛒᛏᛁᚱ.	*Midviku taghi eptir*
ᚴᚱᚢᛋᛋᛘᛁᛋᛋᚢ. ᛁ. ᛋᛁᛒᛏᛁᛘ-	*Kryßmeſſu i Septem-*
BRI.	*bri.*

Tertius incipit primo die Mercurii poſt feſtum crucis in Septembri.

Thor A *Thoro* variis in locis Daniæ, tùm oppida & pagi, tùm *Tors-drup.* ſylvæ & lucus nomina acceperunt. Hinc in Sælandia *Torslund*, *Torsloff.* *Torsdrup &c.* in diœceſi Alburgenſi *Torslöff* quaſi *Thorslund*: *Thors-lund.* ibidem enim loci lucus erat Thoro conſecratus, qui Anno MCDXLI in ruſticanâ ſeditione radicitus fuit exciſus. In Scaniâ *Torſege.* quoq; prope *Filkeſted* extat pagus *Torſſege*, qui à Thoro & ſylva quercina ei vicina huic Idolo conſecrata, nomen eſt mu- *Torſbro.* tuatus, & *Torsbroe*, ſeu pons Thori ac vicinæ molendinæ *Torsbro Möller*. Multi quin etiam hominum hoc nominis etiamnum obtinent. Olim quia à Deo, ut putabant, orta hæc appellatio auſpicata magis cenſebatur: hinc apud Islandos extant nomina.

	Virorum		Fœminarum
Þor vel Thor	*Bergur*	*Þor vel Thor*	*Biorg*
	Biorn		*Dys*
	Brandur		*Finna*
	Alfur		*Gerd*
	Ulfur		*Gryma*
	Dur		*Halla*
	Finnur		*Katla*
	Geſtur		*nyvelgny*
	Grymur		*Rydur*
	Galle		*Ey*
	Kell		*Hildur*
	Leifur		*Lang*
	Labur		
	Modur		
	Steirn		
	Valdur		

Quia

Quia hocidolum fulminibus & tonitruis præeſſe fingebant, & *Βρονταῖον* ſtatuebant, hinc ab eo *Torden*, quod Cimbri *Tarran* pronunciant, & tonitru notat. Unde exteris *Taranis* nomine eundem innotuiſſe ex Lucano colligimus, qui Lib. 1. hæc habet: *Torden.*

Et Taranis, Scythiæ, non mitior ara, Dianæ.

De ſacrificiis quibus hunc Thorum placare ſoliti ſint Dani, præclare diſſerit Dudo de S. Quintino, autor vetuſtus in hunc modum: *Cæterum in expletione harum expulſionum atq; exercituum ſacrificabant olim venerantes THVR dominum ſuum. cui non aliquid pecudum atq; pecorum, ſed ſangvinem mactabant hominum, holocauſtorum omnium putantes pretioſiſſimum, eò quod ſacerdote ſortilego prædeſtinante, juga boum una vice diriter icebantur in capite, colliſoq; unicuiq; ſingulari ictu ſorte electo cerebro, ſternebatur in tellurem, perquirebaturq; levorſum fibræ cordis ſcilicet vena, cujus exhauſto ſangvine ex more ſuo, ſuorum capita linentes, librant celeriter navium carbaſa ventis, Deosq; tali negotio putantes placare, velociter navium inſurgunt remis.*

Notare hic convenit, quod antiquitatum noſtrarum peritiſſimus Arngrimus Jonas monere conſultum duxit, duos fuiſſe ejusdem ferme nominis Thorones. Alter Thoro Odini filius, frater Thyri & Balduri, de quo Saxo loquitur, & à quo dies hic, aliaq; de quibus jam diximus, denominationem ſortita ſunt. Alter Thorro geminato R, indigena, Rex Bothniæ vel Nordbothniæ, de quo fuſius in Crymogea diſſerit. Ab hoc denominationem aliam non habemus præter eam qua Menſis ejusdem nominis ipſi dicatus fertur.

Frigga verò quæ Othini fertur conjux, ac furto & adulterio ad divinitatem viam invenit, pari cum reliquis honore colebatur, unde diem quem Romani veteres Veneri, Septentrionales Friggæ dicarunt. De ea lege Saxonem lib. 1. Sunt qui *Frigonem* quendam inter Deos relatum referant, ut voluptatibus aliisq; illecebris præſideret; cui hunc diem aſcripſerunt. Eundem verò quibusdam in locis virili, quibusdam vero muliebri habitu cultum fuiſſe quidam memorant. Referunt hiſtoriæ Norvagicæ de vita & rebus geſtis Regis Olai *Frigga.* *Frigo.*

Tru-

Trugonis conſcriptæ, Gunnarum quendam Helmingium homicidii accuſatum, cum ſecuritatis nuſpiam reperiret aſylum, ad hujus Frigonis Sacerdotem, quæ virgo erat Norvagica, in Sveciam fugiſſe. Hæc Gunnarum prædictum benignè exceptum, habituq; Frigonis indutum populo exhibebat, ſanctè aſſerens, & credulis perſvadens Deum redivivum hunc eſſe, cum quo familiariter converſabatur. Donec tandem compreſſa, rurſum in Norvegiam ſimul aufugere ſunt coacti. Totam rei ſeriem pluribus perſequitur Arngrimus Jonas Crymog. pag. 147. A quibusdam *Frea* dicitur, unde etiamnum commodius *Fredag* deducitur. Sic namq; Paulus Warnefridus de Geſtis Longobardorum cap. 8. *Tunc acceſſiſſe Gambaram ad Fream uxorem Wodan, & Winilis victoriam poſtulaſſe, Freamq; conſilium dediſſe, ut Winilorum mulieres, ſolutos crines erga faciem, ad barbæ ſimilitudinem componerent, maneq; primo cum viris adeſſent.* Gotfridus Viterbienſis in Pantheo ſeu Chronico univerſali *Feriam* eam vocat, authoritate Thoclaci hiſtoriographi antiquiſsimi; qui adductam è Warnefrido in hunc modum recitat. *Vandali accedentes ad idolum ſuum Godam, victoriam de Vinulis poſtulaverunt, illeq; reſpondit ſe illis victoriam daturum, quando primum orientem Solem conſpexiſſet. Refert è contra Gambaram ad deam nomine Feriam, uxorem ſcilicet Godam, tunc acceſſiſſe, & pro Vinulis victoriam ab ea poſtulaſſe, eandemq; deam Feriam conſilium dediſſe, ut mulieres Vinulorum, crines ſuos diſſolutos ante faciem ſuam ponerent, & primo mane cum viris adeſſent, ſeſeq; pariter videndas verſus feneſtram per quam Godam eas aſpiceret, collocaret. Quod & factum ita fuiſſe refertur: Quos cum Godam Sole oriente inſpiciens vidiſſet, dixit. Qui ſunt hi Longibarbi? Cui Dea Feria reſpondit dicens, ut quibus ipſe nomen tribueret, victoriam etiam condonaret. Itaq; Vinulis (ſicut ajunt) ſic victoriam conceſſit.* Hæc Viterbienſis, ex quibus ſimul originem nominis Longobardici juxta quosdam tractam narrat. Invenio quoq; apud Henricum Spelmannum in Gloſſario *Friam* dictam: ſic enim ille. *Frea alias Fria Saxonum Dea fuit, uxor VVodeni, alias VVodani, al. Goddani, quos & ipſi inter majora numina colentes utriuſq; memoriam nobis hactenus impoſuerunt. A VVodeno* enim

Frea.

Fredag.

Longebardi unde dicti.

enim quartam feriam VVedens-dag appellamus: & à Frea ſextam Frie-dag. Frigga hæc vel Fræa, alias Fria, noſtratibus Freya dicta eſt. Quod proprium jam in appellativum degeneravit, qualibet matre familias hunc ſibi vendicante honoris titulum, *Husfreya* ut ſalutetur Islandis, nobis Danis Husfrue. *Freja erfi* Poetæ poeſin vocant.

Poſtremum verò hebdomadæ diem etiamnum *Löver-dag* vocant, à conſvetis corporum per balnea & lavacra ex- *Löver-dag.* purgationibus. Mos etenim in Septentrionalibus hiſce etiamnum viget, ut hoc die balneis dent operam, ac ſorditiem per reliquos dies contractam abluant. Lavare etenim vel aquâ corpus abluere *at läve* dicunt noſtrates. Si quis tamen *At läve.* convenientius aut commodius hujus vocis etymon produxerit, ei aſſenſum præbere neutiquam refragabor. Nam à Latibus & Lemuribus, quibus hoc die ſacra facta eſſe aſſerunt quidam, quo pacto derivari poſſit, nondum video. Probabiliter Joan. Vaſtovius à Flammâ, quæ Septentrionalibus *Lowe* *Love.* vel *Lue* dicitur. Saxones *Saterdag* vocant, qvod nomen Angli retinuerunt, ab Idolo *Sater*, qvod alias *Crodo* vocabatur, ut teſtatur Richardus Verſtegan in ſuis antiquitatibus Anglicis cap. III.

CAPUT XVI.

De diebus Danicis.

Dierum non minorem varietatem habuiſſe videntur Dani, quam ipſimet Græci & Romani. Græci namque *Dierum apud Græcos diviſio.* ἐνεργὰς καὶ ἀεργὰς ἡμέρας καὶ ἀποφράδας καὶ ἑορτασίμους obſervarunt.

Romani diviſionem à Numâ Pompilio inſtitutam & *Dierum apud Romanos diviſio.* à Macrobio 1. Saturn. 16. annotatam admiſerunt, ut ſcilicet alii eſſent Feſti, alii Profeſti, Interciſi. *Feſti Diis dicati ſunt*, inquit Macrobius, *profeſti hominibus ob adminiſtrandam rem privatam publicamq́ conceſſi: Interciſi horum hominumq́ communes ſunt.*

Hanc autem à Romanis receptam dierum diſtinctionem noſtrates nequaquam reſpuiſſe animadvertere licet. *Dierum apud Danos diviſio.* Sunt enim Faſtis noſtris incluſi *Feſti* dies, tam ſtati, qui vel

Dies feſti ſeptimo quoque die recurrunt, ac dies Dominici appellantur atq; unà ex literis Dominicalibus notantur ; vel Romanæ Eccleſiæ autoritate inſtituti ac Sanctis conſecrati, qui in pri- *Fixi.* mo faſtorum ordine, variis inſtrumentorum picturis anno- *Mobiles.* tati: quàm mobiles quorum indicium cum fixum eſſe non potuerit, ex Cyclo Solari & Lunari, alliſq; modis petendum reliquerunt.

Dies interciſi. Sunt præterea in noſtris faſtis dies *Interciſi*, quorum partem matutinam operi domeſtico & neceſſario tribuere fas eſt, pomeridianam divino, qui ſuas quoque habent notas in quibusdam, in quibusdam verò nullas, forſan quod tales plerumque ſint ii, qui Majora & ſolemnia feſta immediate præcedere ſolent, ac idcirco vulgo ſatis ex ſequentibus manifeſta. Hi autem à veſpera diei ſequentis, denominationem maximâ ex parte ſunt ſortiti. Interciſum namque diem Natalis Domini præcedentem *Iul Affien* vocare ſolemus, ac pari modo reliquos.

Diem à nocte præcedẽte incho- abant Dani. Antiquiſsimam enim illam legem, quam à Samothe, primo Celticarum coloniarum fundatore defluxiſſe ex Baſingſtochio refert Joannes Selden in Jano Anglico, obſervaſſe & noſtrates videntur: *Quod ſcilicet ſpatia omnis temporis non numero dierum, ſed noctium definiverint, diesq́ nataleis & Menſium & Annorum initia ſic obſervaverint, ut noctem dies ſubſequatur.* Quod etiam ex iis quæ de *Moedraneck* ex Scaligero & Beda attulimus capite undecimo, abunde liquet. Cæterum cum Samothes hic omnium rectè & ſincerè judicantium calculis, ex Pſeudo-Beroſi ſeu Annii Viterbienſis cerebro oriundus, nuſpiam in rerum naturâ extiterit, potius hanc legem ex Daniâ in Angliam ſecum detuliſſe incolas crediderim. Unde ad Gallos devenit: hoc enim iis in more poſitum fuiſse legimus etiam apud Cel. Rhod: Lect. antiq lib 18. c. 21. *Gallorum et illud proprium a Dite patre ſe prognatos arbitrari: quo argumento temporum ſpatia metientes, non dies, ut cæteri, ſed noctes mittunt in digitos.* vide quæ ſupra, cap. XII notavimus.

Profeſti dies. Qui dies in faſtis nullo peculiari indicio alicujus ſolemnitatis ſive implicitè ſive explicitè notantur *Profeſti* ſunt,

iis

iis enim pro libitu rem familiarem curare, Agriculturam exercere, aliaque adminiſtrare integrum eſt.

Annotati quoq; in his faſtis extant dies, tum certis quibusdam operibus, ut arationi, meſsi &c. *auſpicati & felices*, tum *atri ſeu ominoſi* & infelices: ac hos quidem vel æreo, aut ſtanneo clavo per literam ejus diei transfixo, vel etiam ejusdem literæ inverſione conſpicuos reddiderunt: Illos verò inſtrumentorum operi convenientium notis, feriei feſtorum inſperſerunt. Atrorum dierum ſuperſtitioni adhuc adeò involuti multi, ut audaculus adeò nemo reperiatur, qui in iis operi alicujus momenti manum adhibere præſumat, cum certo ſibi perſvaſum habeat, optatum ſcopum id conſequi non poſſe. *Dies certis operibus deſtinati.* *Dies atri.*

Quosdam præterea *Notabiles* ſeu *Merckedage* vocant, cujus generis eſt Natalis Domini cum ſequentibus undecim, aliiq; quamplurimi, ex quorum ſerenitate, aut pluviis, ventisque permiſtâ tempeſtuoſitate, tum aëris temperiem per totum annum, tum infinita alia rem ruſticam ſpectantia, haud inſulsâ conjecturâ prudens colligit Agricola. *Merckedage.*

Sunt & dies quibus certis in locis peculiaria indidere nomina, vel ab officio, vel ab adjunctâ aliqua circumſtantiâ, quos recenſere & longum nimis & tædioſum foret. Sic diem D. Matthiæ Norvagi *Lóbermes* indigitant, quod ei quarto quoque anno qui biſextilis, dies unus præfigatur, qui ex reſiduis præcedentium ſex horis emerſit. Sed de annis, menſibus & diebus hæc delibaſſe ſufficerit: nunc ad Faſtos noſtros revertamur. *Dies certis nominibus notati.* *Lóbermes.*

CAPUT XVII.

De variis Faſtorum generibus.

TAnta occurrit horum Faſtorum diverſitas, ut non levis ſit negotii ad certas claſſes omnes redigere. Materiam namq; ſi ſpectes, ligneorum, quos hic præcipuè conſideramus: Quercini quidam ſunt, Buxei quidam, Pirini quidam, Tiliacei quidam, ex alio ligni genere quidam. Oſsibus & cornubus quos impreſsit vetuſtas, ratione figuræ & characterum *Diviſio Faſtorū ratione materiæ.*

rum etiam differunt (de membranis enim nihil hoc in loco dicam.) Nec minorem varietatem figura exhibet: cernere enim licet oblongos & planos: quadrangulos & planos, circulares, hexagonos & pluribus lamellis ligulaceis clavo ferreo connexos, aliosq; ejus generis. Ut enim quisq; uſui ſuo eos inſervire voluit, ita figuras aptavit.

Diviſio ratione figuræ.

Diviſio ratione perfectionis.

Nos igitur ſepoſitis aliis, ratione perfectionis aut imperfectionis eos conſiderabimus. *Perfectos* eos vocamus, qui feſtorum ſigna ſufficientia, iisq; additas operum notas, Cyclum Solarem & Lunarem exhibent. Hæcce etenim neceſſaria ſunt perfectorum Faſtorum requiſita; quibus ſi quandoq; plura addantur, ut atrorum dierum notæ, diei ac noctis longitudo, aliaque ejus generis, ad ornatum non parum conferunt. Perfectorum verò ordines tres non incommodè ſtatuimus. Quidam enim & Cyclum Solarem & Lunarem Runicis Literis exhibent, quos antiquiores reliquis ſuſpicari licet. Quidam Solarem ſolum Runicis: Lunarem numerorum notis vetuſtis aliis proponunt, qui in ordine (ratione habitâ temporis) ſecundum locum obtinebunt. Quidam deniq; nec Solarem nec Lunarem Cyclum Runicis exhibent, ſed illum ſeptem literis Latinis prioribus, ductibus tamen obſoletis depictis: hunc verò notis numerorum vetuſtatem quandam & ſimplicitatem præ ſe ferentibus.

Perfecti.

Perfectorum tres ordines.

Imperfecti ii appellandi veniunt, in quibus aliquid deeſt ex iis quæ in Perfectis requiri diximus. Hi etiam, quantum quidem obſervare licuit, duorum ſunt generum, in quibusdam enim Cyclus Solaris deſideratur, ejusque locum ſupplent ſimplices quædam lineæ. In quibusdam & hic, & Lunaris, ita ut prioris locum ſuppleant lineæ de quibus jam dictum, poſterioris lineola ad ſeptimum quemque ſuperioris inferius appoſita, forſan ut hebdomadarum ſit meta. Sed quoniam perfecti ideam in hiſce potiſſimum ſpectamus, eamque in tribus conſiſtere jam diximus, feſtorum ſcilicet principalium ſignis, Cyclo Solari & Lunari, de iis eorumque uſu aliquid neceſſariò dicendum.

Imperfecti.

Imperfectorum duo ordines.

CA-

Caput XVIII.

De Feſtorum Signis.

FAſtorum noſtrorum pars prima & ſuprema Notas quaſdam continet, quæ dies ſolemni celebratione feriandos, ſeu ab Eccleſiâ Romanâ Divorum memoriæ conſecratos; per totum anni curſum exhibent. Hæ autem notæ à noſtratibus *Apoſtels dage* vocantur, i. e. dies Apoſtolorum: rem ſignatam pro ſigno capientibus, & à potiori appellationem ſumentibus: ſed in omnibus non ſunt ejusdem generis, nec iisdem ductibus exaratæ.

Prima Faſtorũ pars.

Apoſtels dage.

Ut tamen principaliores ad certas claſſes redigamus, quædam ex iis deſumuntur, quæ munera, dignitates, aut officia eorum deſignant, quibus dies ſunt deſtinati. Sic diem Divæ virginis Mariæ, coronæ ſimulachro indicant, eo quod cœli Regina ſit æſtimata. Diem D. Petro dicatum clave, quod cœleſtis janitor ſit habitus, quodq́; ei Chriſtus claves regni cœlorum tradiderit. Feſtum D. Nicolai, anchorâ ſignant, quod nautis & navigantibus ſit conſtitutus patronus.

Unde ſumantur hæc ſigna.

Signa ab officiis deſumpta.

Quædam ad martyrum ſolemnia indicanda, ex inſtrumentis depromuntur, quibus neci ſunt traditi. Sic Feſtum Laurentio dicatum craticulâ: Bartholomæo, cultello: Olao, ſecuri Norvagica: Catharinæ rotâ exhibent.

A mortis genere.

Eſt præterea in hac claſſe aliud ſignorum genus, quod duplex munus ſuſtinere videtur, nam & dies feſtivos exhibet, & opera tum peragi ſolita oſtendit. Hoc pacto cornu huic ſeriei in quibusdam inſculptum, & feſtum Nativitatis Domini indicat, & ſimul hoc tempore lætitiæ ac hilaritati frena eſſe laxanda ac Φιλοθεσίας cornua exhaurienda notat. Majoribus etenim noſtris cornua affabrè elaborata ac deaurata (quorum etiamnum quædam variis in locis viſuntur) poculorum vices ſupplebant, atq́; ex iis diebus ſolemniori bus mulſum amicis & familiæ propinabant, ut ſic genio lautius indulgere poſſent. Quinimo antiquitus prædia & alia bona exhibitione & propinatione cornuum abalienabantur.

A lætitia indiciis.

Cornuum uſus apud veteres.

Sic namq; vetus M.S. *Vlphus Toraldi filius Eboracum divertit, & cornu quo bibere conſuevit, vino replevit, & coram altari Deo & B. Petro Apoſtolorum principi omnes terras & reditus flexis genibus propinavit.* Quod cornu ad patrum uſq; memoriam reſervatum refert Camdenus. Pari ratione Malmesburienſis lib. 2. cap. 2. *Puſei*, inquit, (prædium eſt agri Bercherienſis in Anglia) *illi, qui de Puſei nominati, adbuc tenent per cornu, Majoribus olim à Rege Canuto Danico donatum.* Plura in hunc ſenſum lege in noſtra Diſſertatione de aureo Cornu. Cum igitur lætitiæ, hilaritatis & liberalitatis ſignum ſit cornu, eo ad feſta lætiora indicanda uſi ſunt veteres. Pari ratione diem Martini Anſere notant, tum quod familiæ veteri conſvetudine aſſatus exhibebatur, tùm quod ferant D. Martinum Epiſcopatum renuentem atq; in latebras ſe conjicientem ab anſeris ſtrepitu proditum fuiſſe. Hæc lætitiæ ſigna recentiores non ſecus faſtis ſuis inſerùere ac majores eorum Ludos aliaq; ſacrificia in honorem Idolorum inſtituta.

A laborum inſtrumentis. Huc ſpectant laborum atq; operum notæ omnium vetuſtiſsimæ, eidem ſignorum ordini inſertæ, ut cum diem Margaretæ ſacrum, raſtro notant: quod circa id temporis fœnum ab induſtrio colono colligatur. Franciſci piſce, quod piſcium captura tum felicius ſuccedere ſoleat. Tiburcii flore, quod prata tum florum amœnitate ridere incipiant, ac pabula pecoribus præbere valeant. Calixti chyrotecâ, quod à frigore ingruente manus aliaque membra ob hyemis ſævitiam ſint munienda. Omnia perſequi minus neceſſarium, cum in ſpecialem ſingulorum tractatum plæraq; reſerventur.

Cruce notati dies. Magna interim pars feſtorum minus principalium ſolâ cruce minutâ in quibusdam notatur; cujus ſignificatio ex ſigno præcedente aut ſequente petenda.

Signa feſtorum Ægyptiorum Hieroglyphicis ſimilia. Quicunq; acuratiori mentis indagine harum figurarum naturam, proprietates & uſus perluſtraverit ac cum aliis ejus generis diligentius contulerit, cum Ægyptiorum dictis Hieroglyphicis planè convenire facili negotio

ag-

agnoſcet. Quæcunque enim dehiſce ab Hiſtoricis fide dignis & adhuc extantibus Pyramidum & Obeliſcorum rudetibus colligere licet, in illis agnoſcet is qui non planè fungum pro cerebro gerit. Inter reliquos de Ægyptiacis in hunc modum diſſerit Diodorus Siculus lib. 4: *Sunt Ægyptiorum literæ variis animantibus extremitatibusq; hominum atq; inſtrumentis ſed præcipuè artificum, perſimiles, non enim ſyllabarum compoſitione, aut literis verba eorum exprimuntur, ſed imaginum forma, eorum ſignificatione uſu memoriæ hominum tradita. Scribunt quidem Accipitrem, crocodilum, ſerpentem, hominis oculum, manus, faciem & cætera ejuſmodi. Accipiter rem denotat citò factam, quoniam hæc aliarum fermè omnium avis ſit velociſſima, transfertur hæc notatio ad res domeſticas quæ velociter fiant. Crocodilus malum ſignificat. Oculus juſtitiæ Servator & totius corporis interpretatur cuſtos, &c.* Remque ita ſe habere edocent imagines ac figuræ in obeliſcis regum Sedotis & Sennoſornii, ex Ægypto Romam (ubi etiamnum conſpiciuntur) delatis, adhuc extantes. Confer jam, ſi placet, noſtras feſtorum notas, & vix ovum ovo ſimilius deprehendes. Omnem itaq; ſuperat admirationem quod in alienis adeò ſimus oculati, in propriis verò talpis cæciores. In exteris id admiramur, deprædicamus & extollimus, quod in nobiſmetipſis negligimus ſaltim; ſi non contemnimus. Sed inveterato ſæculi vitio id unà cum reliquis aſcribendum videtur.

Hieroglyphica Ægyptiorum.

Obeliſci Sedotis & Sennoſornii.

Quanquam alia non deſint, in epitaphiis præſertim & Heroum Danicorum monumentis conſpicua, quæ majorem cum Ægyptiis affinitatem habeant. Cernere enim non raro licet unà cum Runis, varias animalium figuras cautibus duriſsimis impreſſas, ut pote Leonum, urſorum, equorum, canum, draconum, angvium miris plexibus intricatorum, quas heroum buſtis fruſtra additas quis crediderit? ſed de iis diſſerendi alibi forſan occaſio erit commodior: hic namque ea ſolum quæ faſtos concernunt, tractamus.

Hieroglyphica Danica.

Dies, quos ſupra interciſos vocavimus, etiam locum in hac claſſe inveniunt. Notantur verò in quibuſdam ſo-

Dies interciſi.

ſolâ lineâ feſti ſignum antecedente, in quibusdam vero lineâ à latere binas alias lineolas ſuſtinente, hoc pacto ⊧ vel ſi ex ſolemnioribus feſtis aliquod inſequatur, ut jejuniis corpus more Eccleſiæ Romanæ ſit caſtigandum, tribus. Minutiſsima quæque hoc in loco reſecare nec inſtituti poſtulat ratio, nec magnopere neceſſarium.

Uſus primæ partis. Uſus hujus partis maximus eſt, præterquam enim quod anni Solaris & Calendarii Juliani ideam exhibeat; menſes Lunares anno ſolari commodè exæquat. Tot enim Lunationibus conſtare putatur Solaris annus, quot ſub ambitu hujus ordinis continentur. Ut taceam hanc partem normam eſſe, ſecundum quam & Cyclus Solaris & Lunaris diriguntur: ut primum etenim de feſto aliquo quæſtio movetur, quo ſcilicet die ſeptimanæ incidat, aut quo in cardine tum Luna verſetur, ad primam hanc partem recurrendum, in qua ubi ſignum quæſiti inveneris diei, mox intervallum inter ipſum & reliqua feſta eſt in propatulo, ſimulque ſubjecta Dominicalium notarum ſeries in quem ſeptimanæ diem incidat oſtendit: ex aureo vero ſubjecto in tertia ſerie numero, qualis Lunæ tum temporis ad Solem ſitaſpectus manifeſtum eſt. Quamplurima ſunt ejus generis alia, quæ hinc emergunt, quæque commodius praxi quotidiana, quam longo ſermone demonſtrantur. Hoc interim ſcire convenit, eum qui hiſce faſtis cum fructu uti cupiat, feſtorum ſigna imprimis ſibi commendata habiturum: ſunt enim quaſi claves quibus tota hæc ſcientia reſeratur.

CAPUT XIX.

De Cyclo Solari.

Cyclus Solaris unde dictus. PArs ſecunda in Cycli Solaris conſiſtit continuatione, qui quidem Romanis ita dictus, quod diei Solis index extiterit. Una etenim ex ſeptem, quibus conſtat, literis, per vices annuatim diem indicat, cujus dominium Sol obtinere creditur. Ut igitur Lunaris Lunam Soli,

ita

ita Solaris Solem ſeptimanæ reſtituit. Græcis εἰκοσοκταε-τηρὶς, à numero annorum, quo abſoluto ad ſua redit exordia. Conſtat autem viginti octo notis, totidem annos notantibus, ita tamen ut ſeptem ſaltem ſint, ſi figurarum ſpectes varietatem, quæ crebra ſui repetitione huc uſque aſſurgunt.

Ejus nomina.

Mutatâ ſuperſtitione Ethnicâ in veri Dei cultum, nomen quoq; mutavit hic Cyclus, ut non tam Solaris, quam dierum Dominicalium diceretur. Chriſtiani etenim diem quem ethnici Soli, Domino ac Deo creatori ſuo devoverunt. Hujus Cycli ideam ita exhibet membrana noſtra Runica.

Cyclus Solaris Runicus.



Joan. Bureus Svecus in eo diſcrepat, quod anni biſſextilis notam alteram quam codex noſter in limbo circuli exteriori ponit, ad interiorem transferat, hoc fermè pacto.

CYCLUS ET LITERÆ DOMINICALES.

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14
ᚼ	ᚱ	ᚬ	ᚦ	ᚢ	ᚼ	ᚴ	ᚱ	ᚬ	ᚢ	ᚠ	ᛡ	ᚴ	ᚬ
ᚴ				ᚠ				ᚦ				ᚱ	

15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28
ᚦ	ᚢ	ᚠ	ᚴ	ᚱ	ᚬ	ᚦ	ᚠ	ᚬ	ᚼ	K	ᚦ	ᚢ	ᚠ
		ᛡ				ᚢ				ᚬ			

ᚠ ᚢ ᚦ ᚬ ᚱ ᚴ ᛡ : ᛡ ᚴ ᚱ ᚬ q ᚢ ᚠ

Varietas notarum Cycli Solaris. In ligneis qui ad manum erant faſtis, quiq́; in ſequentibus exhibebuntur, idem quidem ordo eædemq́ue in plerisq́; extant notæ, ſed ductibus paululum diſcrepantibus, hoc pacto ferè. Exacte enim ob notarum defectum exprimere Typographus non potuit.

ᚠ	ᛆ	ᚬ	a
ᚢ	ᚢ	ᚢ	b
ᚦ	ᚦ	ᚦ	c
ᚬ	ᚠ	ᛏ	d
ᚱ	ᚱ	ᚱ	e
ᚴ	ᛦ	ᚴ	f
ᚼ	ᛡ	ᚼ	g

Runicæ notæ Latinis non reſpondent. In quibusdam, rudioribus tamen & imperfectioribus, Dominicales literæ penitus omittuntur, earumq́ue loco nudæ ponuntur lineæ, quæ neutiquam ejusdem cum Dominicalibus ſunt efficaciæ.

Sed non prætereundum notas Runicas literis Dominicalibus Latinis minus reſpondere, ea enim quæ primam hic ſibi vendicat locum, Latinorum æquivalet F, quæ ſecundum U, & ſic conſequenter, in numeris unitatem & binarium. Quocirca numerorum potius quam literarum ſunt charac-

cte-

ctetes, quorum primus unitatem, ſecundus binarium notat, ac ita deinceps ad ſeptenarium uſq;. Dominicales igitur numeri potius quam literæ appellandi ſunt. Vel ratio ab ordine priſco petenda, non enim A prima fuit noſtrarum literarum antiquitus, ſed ᚠ. quocirca ab hac incipit Cyclus, et juxta priſcum progreditur ordinem, de quo conſule Literaturam noſtram.

Uſus hujus Cycli inſignis eſt, per univerſum namq; anni curſum diem Dominicum notat, ita quidem ut ſi hoc anno Dominicalis nota ſit ᚠ, ſequenti erit ᚼ, & ſic conſequenter, retrogrado ordine pergendo à ſeptenarii notâ ad unitatem, niſi biſextus inciderit (quod quarto quoque anno contingit) tunc enim duæ ſunt Dominicales, una ab initio Januarii, uſque ad feſtum Matthiæ (cui dies qui ex ſuperfluis antecedentium VI horis colligitur, addi ſolet) quæ poteſtatem transfert in aliam quæ ſub ea in Cycli inferiori notatur limbo. Hæc ad finem usque anni ſuo fungitur officio, donec ab eâ ad ſuperioris limbi ſequentem fiat progreſſus. *Uſus Cycli Solaris.*

Mutatio autem Dominicalis notæ fit, tum quia CCCLXV anni dies, per ſeptem diviſi in quotiente relinquant LII hebdomadas, & diem unum. Hinc ex ſeptem notarum per totum annum continuatione, ſemper una remanet, quæ ut legitimum claudit Calendarium, ita idem inchoat, ut ſi ᚠ totius anni ſit prima Dominicalis nota, erit & ultima, ſi ᚢ prima, eadem & ultima. *Cur mutetur Litera Dominicalis.*

CAPUT XX.

De Cyclo Lunari ſeu aureo numero.

ULtimus ſignorum in faſtis noſtris occurrentium ordo, Cyclo Lunari ſive *ἐννεαδεκατήριδος* clauditur. Hic ab autore Metone Aſtronomo Græco, Metonticus dicitur, noſtratibus BRIᛘ ſeu *prim*, Norvagis *Tunglet aulld*. Eſt autem index novendecim annorum ſolarium, quibus abſolutis, *Autor Cycli Lunaris.* BRIᛘ Tunglet.

Quid omnes Lunæ oppoſitiones & conjunctiones ad priſtina loca reverti crediderunt. *Tungl* enim & *Tunglet* Lunam notat, cujus hic cyclus improprie dicitur *aulld*; *aulld* enim proprie ſæculum eſt: revolutio igitur Lunæ *Tunglet aulld* vocatur, quod ſit quaſi Lunæ ſæculum.

Cyclus Lunaris.

Cùm verò novendecim conſtet numerorum notis, quarum unaquæque diem Novilunii eo indicat anno, cujus obtinet dominium, atque ita harmoniam Lunaris ac Solaris anni efficiat, ob inſignem uſum *aureus* dictus eſt, atq; aureis literis anno Juliano inſertus. Ab iis qui veteres conſignarunt faſtos ita hunc Cyclum delineatum accepimus.

Cur Aureus.

Cycli Lunaris delineatio Runica.



Cum tamen non iisdem notis in omnibus extet, ſed diverſitas occurrat haud levis, non ſolùm ob notarum in qvibusdam inverſiones, ſed etiam ob characteres à Runicis diverſas, lubet omnem varietatem hic ſubjungere,

NU-

NUMERORUM AUREORUM FIGURÆ. VALOR.



Aureorũ numerorum figuræ variæ.

Uſus hujus partis maximus eſt. Primò namq; Novilunia & plenilunia per totum annum oſtendit. Quibus enim diebus primo ἐννεαδεκαετηρίδος anno contingunt Novilunia ad illos unitatis nota apponitur, quibus ſecundo, illos pari ratione binarius deſignat, ac ſic conſequenter. Quod tamen in iis faſtis qui ad noſtrum ſeculum ſunt accomodati locum habet. In veteribus quoq; circa annum Domini CD idem obtinuit uſus. Verum cum ſingulis annis novendecim, Lunationes anticipent per unam horam & $\frac{1}{24}$, ac annis CCCLXXXI integri diei intervallo ferè, hinc tanta orta eſt deviatio, ut ſitu antiquo, non Lunam primam, ſed quintam indicent. Quocirca ubicunq; in veteribus faſtis ſignum lunæ primæ per aureos

Uſus Cycli Lunaris.

Cur aurei numeri ſitũ mutaverint.

reos

reos numeros ponitur, tu quintam jam intellige, deme quatuor, ſic verum novilunii habebis diem.

Uſus 2. Deinde menſium Lunarium eſt menſura: tot enim diebus menſis Lunaris conſtare putatur, quot ſunt Dominicales notæ interjectæ inter aureum ejus anni numerum & eundem recurrentem.

Uſus 3. Adhuc harmoniam menſium Lunarium cum Anno Juliano ſive Solari exhibet: quot enim ſub anni circulo continentur Lunationes aureo numero indicatæ, tot annus Solaris conſtàt menſibus Lunaribus, & inſuper diebus tot, quot poſt ultimam Lunationem completam ſuperſunt.

Uſus 4. Nec poſtrema utilitas hæc eſt, quod ejus beneficio omnia feſta mobilia, & intervalla innoteſcant. Paſchatos enim feſtum ejus ope invenire licet, quo cognito reliqua fixo intervallo ab eo diſtantia, facilima ſunt inventu.

CAPUT XXI.

De mobilium Feſtorum per Faſtos Danicos inventione.

Feſta mobilia dependent à Paſchate. Dies feſti qui fixam ſedem in faſtis noſtris non habent, maximâ ex parte à Paſchatos dependent ſolemnitate: fixo enim intervallo illam vel præcedunt vel ſeqvuntur, Quocirca qui diem quo illa celebranda noverit, absq; ullo negotio reliquorum mobilium feſtorum tempus inveniet. Paſchatos verò inveniendi ratio licet varia ab autoribus tradita ſit, aliam tamen hic perſequi noſtri non eſt inſtituti, quàm quæ absq; calculi ſubtiliori indagine faſtorum horum fit beneficio.

Paſchatos inveniendi ratio I. In quibusdam itaq; circa Martii finem & Aprilis initium ſeu (ut inſtituto convenienter loquamur) inter diem Benedicti & Georgii duplex conſpicitur numerus aureus, quorum inferior Paſchatos inventioni ſolum eſt deſtinatus. Ubicunq; igitur in inferiori numerorum ſerie anni cujus expetis Paſcha, aureus occurrit, ibi quærendum. Si etenim in diem Dominicum incidat aureus numerus, ſe.

ſequenti Paſcha celebrabitur: ſi in alium, inſequens Dominicus dies illi erit deſtinatus. Ut hujus anni MDCXXV aureus numerus eſt XI hunc ſub die Tiburcio ſacro; qui Jovi à Latinis adſcribitur, noſtratibus vero *Torsdag*, invenio, hinc colligo tertio abhinc, qui in menſibus politicis eſt XVII Aprilis & Dominicus celebrandum eſſe Paſcha.

Altera ratio ruſticis noſtris valde frequens, ex intervallo, quod inter feſtum Purificationis Mariæ (noſtratibus *Kyndelmeſs*) & Dominicam *Eſtomihi* (*Fleske Sóndag*) dependet. Hac vero cognitâ ad Paſcha ſeptem ſeptimanas præciſè computandas eſſe norunt. Intervallum autem hoc ad annos viginti, triginta, aut plures hoc pacto in faſtis conſignatum geſtant. 11.



Quæ conſignatio intervallum dictum oſtendit, & annos biſſextiles indicat. In quocunq; enim quadrato lineæ transverſæ pyramis annectitur, ea annum bisſextilem indicat, qui tot habet inter feſtum Purificationis & Dominicam *Eſto Mihi* ſeptimanas, quot in quadrato inſculptæ occurrũt pyramides ac tot in ſuper dies, quot lineolæ. Sic primum quadratum hic appoſitũ huic Anno MDCXXV reſpondet: qui primus eſt à biſſextili: quatuor verò dies inter feſtum Purificationis & Dominicam *Eſtomihi* interjectos eſſe arguunt quatuor quadrati lineolæ, ſeptimanæ verò tres, quia pyramides totidem continet. Anno verò ſequenti MDCXXVI intervallum hoc duarum ſeptimanarum & trium dierum eſſe, eadem methodo invenio. Ne verò error obrepat ac circa quadrata decipiantur, ſingulis annis poſt Dominicam *Eſto mibi* cultello lineam transverſam per ejus anni ducunt quadratum quæ valorem ſuum illud jam amiſiſſe oſtendit.

Fa-

III. Modus. Facilior verò modus Dominicam *Eſto mihi* inveniendi, vix reperitur illo, qui tritis hiſce circumfertur Rhitmis:

> *Vilt du vide med liden umag,*
> *Det neſte Ny effter Kyndelmeſs dag,*
> *Den neſte Onſdag der effter kommer,*
> *Da haffuer du Faſte med kuld oc hunger.*

Id eſt: Dies Mercurii proximè inſequens Lunam novam poſt feſtum Purificationis Mariæ jejuniorum præbet initium (de jejuniis vero ſolemnibus à Romana Eccleſiâ indictis ſermo eſt) Dominica igitur præcedens hunc diem Mercurii, eſt Dominica *Eſto mihi*, à qua ad Paſcha ſeptem, ut noſti, computantur ſeptimanæ.

Quomodo reliqua feſta mobilia inveſtigentur. Quocunq; horum modorum terminum Paſchatos inveneris, perinde eſt, modo eum certo teneas Hinc etenim mobilia reliqua dependent feſta; ſi namq; ab eo retrorſum ſex numeraveris ſeptimanas, tempus *Quadrageſimæ* occurrit, à Quadrageſima ſi unam hebdomadam retrorſum computaveris, incides in Dominicam *Eſto mihi*, Ruſticis *Fleske-Söndag* dictam, ſeu Bacchanalia: ſic antroſum à Paſchate numerando hebdomadas V ad *diem Rogationum* pervenitur, quem inſequens dies Jovis, feſtum *Aſcenſionis Domini* præbet. A Rogationum Dominicâ antrorſum, hebdomadas duas ſi computaveris, pervenies ad feſtum *Pentecoſtes*.

Adventus Domini quando celebrabitur Adventus Domini difficultatem nullam præbet; ille etenim celebratur Dominicâ, quæ proxima eſt feſto Andreæ Apoſtoli, ſive antecedat, ſive ſequatur. Si vero feſtum Andreæ in diem Dominicum inciderit, eo ipſo die Adventus celebrabitur. Sic enim codex manuſcriptus.

ᛆᚦᚡᚽᚿᛏ.ᛒᚢᚱᛁᛆᛋ ᛆ.ᚦᚽᚿ. ᛋᚢᚿ	*Advent byriar a den Sun-*
ᚿᚢᛏᛆᚼᛁ.ᛋᛆᛘ. ᚿᚽᛋᛏ. ᚽᚱ. ᛆᚿ-	*nutahi ſom neſt er Andre-*
ᛑᚱᚽᛆᛋᛘᚽᛋᛋᚢ.ᚡᚢᚱᛁ.ᚽᚦᛆ.ᚽᚡ-	*as meſſu, fyri ethaeftir, e-*
ᛏᛁᚱ.ᚽᚦᛆ. ᛆ. ᛆᚿᛏᚱᚢᛋ. ᛘᚽᛋᛋᚢ.	*tha a Andrys meſſu dahi*
ᛑᛆᚼᛁ.ᚦᛆ.ᚽᚿ. ᚼᛆᚿᚿ. ᚴᚢᛘᛒᚱ.ᛆ.	*da en bann kumbr a Sun-*
ᛋᚢᚿᚿᚢᛑᛆᚼ.	*nudah.*

Ad-

Adventus Domini incipit à Dominicâ proximâ feſto Andreæ, ſive præcedat, ſive ſequatur. Quod ſi feſtum Andreæ in Dominicam inciderit, ea erit prima Adventus.

CAPUT XXII.

De Diebus atris ſeu infauſtis Græcorum & Ægyptiorum.

NUlla penè extitit gens, cui non in dierum computatione labis aliquid affricuerit ſuperſticio, eóq; adegerit, ut quoſdam è cæterorum eximeret numero, quibus peculiarem quandam operibus afflari fœlicitatem crediderit; quibusdam è contra nigrum præfigeret Theta, ad omnia peragenda infauſtos & infelices penitus eos eſſe exiſtimans. Sed ut in re lubricâ nulli ſolido innixa fundamento fieri conſvevit; eoſdem non omnes improbarunt, ſed quidam hos, quidam illos infauſtos ac atros, prout iis genius dictabat, putarunt. *ſuperſtitio in dierũ delectu.*

Græci, teſte Auguſtino, quoſdam dies ἀποφράδας dixerunt ἡμέρας, quaſi ejus eſſent infortunii, ut ne nominari, multo minus opus aliquod in iis aggredi liceret. Quin eò tandem progreſſi, ut de dierum fauſtorum & infauſtorum electione, integra tradere volumina non dubitaverint. Teſtis veterum Poetarum princeps Heſiodus, cujus hac de re integra extat lucubratiuncula, cui nos olim notas noſtras aſcripſimus. Athenis quoq; inter ἀποφράδας numerabant *Plynteria*, Deæ Cereri ſacra: hæc vero in Februario faciebant Praxergidæ, ritu arcano dejecto prorſum templi univerſo ornatu & obtecto ſimulacro. *Græcorũ dies atri.* *Plynteri. a Athenienſium.*

Atrorum horum dierum duo fuiſſe genera recte obſervavit doctiſſimus Seldenus de jure Natur. et Gentium lib. 3. cap. 17. Unum eorum qui ex autoritate publica ſeu inſtituto civili, ita infauſti & atri habebantur, religioſi & ſacri quandoque dicti: Alterum quod ſaltem ex privatorum hominum opinione, obſervatione, ſeu diſciplinâ ſecretiore ſic habitum.

Ægyptiorum dies atri.

Ægyptii in hoc ſuperſtitionis genere nihil reliqui fecerunt, hinc etiamnum dierum numerus quos atros & infauſtos volebant, ad noſtrum propagatus eſt ſeculum, licet non eadem omnium de iis ſit ſententia. Imo eo jam deventum, ut dies omnes infauſti habiti, Ægyptiaci vulgo dicantur; quia Ægyptii præ reliquis huic ſuperſtitioni dediti fuere. Cauſam autem hujus ita perſtringit autor præfationis præfixæ Aeromantiæ Mizaldi. *Præter decem plagas notas, quæ in his breviter habentur verſiculis.*

Sangvis, rana, culex, muſcæ, moriens pecus, ulcus,
Grando, locuſtæ, nox, mors prius orta necans.

Contigerunt eis plurima mala, ita quod bis in menſe quolibet, ſicut in calendario notatur, in his diebus humanum ſangvinem plurimi ſacrificarent. Unde prohibitum eſt, ne quis in his diebus ſibi minuat ſangvinem, ne videatur ſacrificare dæmoni.

Dies Ægyptiorũ juxta Rantzovium.

Henricus Rantzovius vir ut nobiliſsimus, ita eruditorum fautor ſingularis, tractatu de conſervandâ valetudine cap 26. Ex Beda hoc pacto eos recenſet. *Sunt igitur hi*, inquit, 1. *&* 7. *Ianuarii* 3. *&* 4. *Februarii*. 1. *&* 4. *Martii*. 8. *&* 10. *Aprilis*. 3. *&* 7. *Maii*. 10. *&* 15. *Iunii*. 10. *&* 13. *Iulii*. 1. *&* 2. *Auguſti* 3. *&* 10. *Septembris*. 3. *&* 10. *Octobris*. 3. *&* 5. *Novembris*. 7. *&* 10. *Decembris*. Sed forſan Bedam ipſum ſingulos ordine recenſentem audire placet. Sic autem ille Tomo 1. Operum. pag. 46.

Beda dies Ægyptiac.

Si tenebræ Ægyptus Grajo ſermone vocantur.
Inde dies mortis tenebroſos jure vocamus,
Bis deni biniq; dies ſcribuntur in anno,
In quibus una ſolet mortalibus hora timeri:
Menſis quiſq; duos captivos poſsidet horum.
Iani prima dies & ſeptima fine timetur,
Aſt Februi quarta eſt, præcedit tertia finem
Martis prima necat, cujus ſic cuſpide quarta eſt,
Aprilis decima eſt, undeno & fine timetur.
Tertius & Majo, lupus eſt, & ſeptimus angvis.
Iunius in decimo quindenum à fine ſalutat.
Tredecimus Iulii, decimo innuit ante Calendas.
Auguſti nepa prima fugat, de fine ſecundam.

Ter-

Tertiam Septembris vulpis ferit è pede denam.
Tertius Octobris gladius, decem in ordine nectit.
Quinta Novembris acus, vix tertia manſit in urna.
Dat duodena cohors ſeptem, decemq́ Decembris.
His caveas ne quid proprio de ſanguine demas.
Nullum opus incipias; niſi forte ad gaudia tendat,
Et caput & finem menſis in corde teneto
Ne medio ima ruas, ſed clara per æthera vivas.

Eosdem dies Ægyptiacos aliter proponit Joannes de Sacrob. de ratione anni, citante Jouberto in Com. in Chirurgiam Guidonis de Cauliaco. Tàm etenim dies quàm horas dierum infortunatas hoc pacto recenſet. *Atri dies Johan de Sacroboſcho.*

Arma Gumſe, Dei Kalatos, adamare dabatur,
Lixamemor, conflans gelidos, Linſancia quosdam,
Omine limen, Avron Bagis, concordia laudat.
Chria Linkat, ei coæquata, Gearcha Liſardus.

Quorum verſuum duæ voces ſingulis attribuuntur menſibus ita quidem ut litera prima vocis primæ, numerum oſtendat diei primæ, litera prima ſecundæ, ſecundam ab ultimo numerando, excluſo H tanquam aſpiratione. Litera vero prima ſecundæ ſyllabæ cujusq́ue vocis, Horam diei atri magis infauſtam innuit. Quod ut melius capias, ordine per omnes Menſes, dies & horas infauſtas, juxta horum verſuum præſcriptum recenſebo.

	D. H.		H. D.
Januarius	1. 11.	Aprilis	10. 20.
	25. 6.		20. 11.
Februarius	4. 8.	Majus	3. 6.
	20. 10.		25. 10.
Martius	1. 4.	Junius	10. 6.
	28. 2.		16. 4

	D.H.		D.H.
Julius	13. 11.	October	3. 8.
	22. 11.		22. 9.
Auguſtus	1. 1.	Novemb.	5. 8.
	30. 7.		28. 5.
Septemb.	3. 3.	Decemb.	7. 1.
	22. 4.		22. 6.

Ranzovius Bedæ mentem aſſecutus non eſt.

Suſpicari hinc licet Rantzovium mentem Bedæ non ſatis aſſecutum eſſe dum poſteriorem cujusque menſis diem atrum, à principio computando numeraverit, perinde ac priorem, cùm à fine retrogrado ordine, computatio inſtitui debeat, ut factum à Joan. de S. Boſcho. Hoc enim ſæpiuſculè verſibus ipſis innuit Beda, ut cuique diligentius eos ruminanti patet.

Judeorũ dies infauſti

Judæi præterea dies quosdam pro infauſtis reputabant; e quorum numero ſeptimus menſis Junii, quoniam eo die Moſen confregiſſe tabulas, Manaſsem erexiſse idolum in ſancta ſanctorum, muroſque Jeruſalem ab hoſtibus dirutos ratum habent. Similiter ater ille dies eſt nonus Julii, quia eo die utraque templi deſtructio perpetrata eſt. Vide Cornel. Agrip. de occult. Philoſ. lib. 3. cap. 63.

CAPUT XXIII.

De Romanorum diebus atris & ominoſis.

Romanorum dies atri. *Dies Nefaſti.* *Dies Communes.*

ROmani dies omnes qui poſtridiè erant Calendas, Nonas & idus potiſsimum vitabant, eosque ab ominis diritate *atros* vocabant, ſed imperitè *Nefaſtos* dici autor eſt Gellius. Lib. 5. Noct. Att. c. 17. Alii ad molliendam vocabuli diritatem *Communes* dixerunt. Cœl. Rodigin. lib 14. cap. 9. à plebejis deluxato verbo *Ægyptiacos* nuncupari ait, ab Ægy-

pti

pti vanitate, proclinato vocabulo. At dies atros Romanorum ab Ægyptiacis multum differre ex hactenus dictis abunde patet.

Atros autem hoſce dies inprimis vitabant Romani, ſi aliis bellum inferrent; nam illatum propulſare, ſalutem dignitatemq́; tueri, quocunque die jus faſque arbitrabantur. Cauſam verò cur poſtridiani dies Romanis tantopere fuerint ſuſpecti, loco citato ex Verrio Flacco ſic refert Gellius, *Vrbe à Gallis Senonibus recuperata, L. Attilius in ſenatu verba fecit, Q. Sulpitium Tribunum militum ad Aliam adverſus Gallos pugnaturum, rem divinam dimicandi gratiâ poſtridie idus feciſſe, tum exercitum populi Romani occidione occiſum, & poſt diem tertium ejus diei urbem præter capitolium captam eſſe: complureſq́ alii Senatores recordari ſe dixerunt, quoties belli gerendi gratia res divina poſtridiè Kalendas, Nonas, Idus à Magiſtratu populi Romani facta eſſet, ejus belli proximo deinceps prælio rem publicam geſtam malè eſſe. Tum ſenatus eam rem ad Pontifices rejecit, ut ipſi quod videretur, ſtatuerent. Pontifices decreverunt nullum his diebus ſacrificium rectè futurum.* Hæc ex Verrio Gellius. Conſignatum præterea literis accepimus, Romanos hiſce diebus parentare, nefas exiſtimaſſe, quia tum quoq́; Janum Jovemq́; præfari neceſſum eſſet, quos nominare atro die non oportebat.

Quando Romani atros dictes obſervabant.

Cur dies poſtridiani Romanis atri.

Romani diebus atris non parentabant.

Præter dictos, & eum qui erat ante diem quartum Kalendas, vel Nonas, vel Idus tanquam innominalem diem plærique vitabant, quod cladem vaſtiſsimam pugnæ Cannenſis ante diem quartum Nonas ſextilis factam dicat Q. Claudius Annalium 5. referente Gellio.

Poſtera die à Nonis, idibus vel Calendis uxorem ducere Romanis non licuiſse, ſed eos dies velut triſti omine infames & deteſtabiles fuiſſe, teſtis eſt Alex. ab Alexand. genial. dier. lib. 2. cap. 5. qui lib. 4. cap 20. ex profeſſo hanc rem perſequitur, dignus qui legatur. Hi autem atri dies decreto pontificum habebantur, quibus legiones educere, aut acies cum hoſtibus committere, vel quicquam publicæ rei agere, religio non ſinebat. Hinc vopiſcus de Tacito ait: *Nunquam noctem intermiſit, qua non aliquid*

vel ſcriberet, vel legeret præter poſterum calendarum. Suetonius cap. 52. de Auguſto Cæſare: *Obſervabat & dies quosdam, ne aut poſtridie Nundinas quoquam proficiſceretur; aut Nonis quicquam rei ſeriæ inchoaret,* Dio. lib. 49. Romanos ab *antiquiſsima conſvetudine, ſi novendialium in Calendas Ianuarii incidiſſet unius diei extraordinaria intercalatione (quem illi vocant παρὰ τὰ κατεστηκότα ἐμβόλιμον) anticipaſſe ne dies ille omnium feſtiviſsimus omine infauſto fœdaretur.* Calendas omnes Iunoni dicabant. Hinc Ovidius:

Excipit Auſonias Iunonis cura calendas.

Martiæ calendæ matronis ſpecialius dicabantur: Et per eum diem agebantur matronalia, unde fæmineæ calendæ Juvenali dicuntur:

Munera fæmineis tractas ſecreta calendis.

Juliis calendis in alias ædes commigrabant.

Dies biſſextus ominoſus. Biſſexti præterea diem Romanis ominoſum fuiſſe legimus. Unde Valentinianus Imperator in medium prodire recuſabat, ut biſextum Februarii menſis vitaret, qui prima imperii ſtatione illuceſcebat. Ex quo forſan & noſtrates illud hauſerunt, quod ab anno biſexto & ejus fratre cavendum moneant, *war dig*, inquiunt, *for Skudaar oc hans Broder*, reliquis infeliciores quoad annonæ caritatem, aliasque calamitates illos eſſe exiſtimantes.

Dies nautis atri. Cælius Rhodig. dies quosdam nautis imprimis atros & ſuſpectos recenſet, ut pote in quibus maximas in mari mutationes contingere, vel ad tranquillitatem, vel ad tempeſtatem animadverterunt. Sunt autem hi: Martii, 1. 7. 14. 17. 19. 25. Aprilis, 5. 6. 12. 20. Februarii, 6. 12. 15. 17. 19. 20. quibus à navigationibus abſtinere, tutiſsimum arbitrantur.

Dies periculoſiſſimi Bedæ. Non poſſum quin verba Bedæ huc adſcribam, quibus tres dies ſummè atros & periculoſos per totum annum vitandos aſſerit: ſic verò inquit Tom. 1. p. 467. *Sunt tres dies in anno, qui per omnia obſervandi ſunt. 8 Idus Aprilis, ille dies lunis intrante Auguſto, ille dies lunis, exeunte Decembri, ille dies lunis obſervandus eſt, in quibus omnes venæ in homine & in pecude plenæ ſunt. Qui in his hominem aut pecus percuſſerit, aut ſtatim, aut tertio die morietur,*

aut

aut 7. die periclitabitur. Et ſi potionem acceperit, intra 15 dies morietur, & ſi maſculus aut fœmina in his diebus naſcuntur, mala morte morientur. Et ſi de auca in his diebus aliquis manducaverit, intra 15 vel 40 dies morietur.

CAPVT XXIV.

De diebus atris Danorum & Gallorum.

NEc Dani ab hiſce ſuperſtitionibus immunes planè fuerunt, ſuos etenim atros & ominoſos dies, quos jam *Forvorpen dage* vocant, æreis aut ſtaneis clavis faſtis ligneis infixerunt, vel inverſione literæ Dominicalis annotarunt, ut eos ſummo ſtudio vitarent Agricolæ Et quamvis omnes eosdem ita notatas non habeant, nec iidem ab omnibus pro atris habeantur, attamen eos quos ita ſignatos in quibusdam ex antiquioribus repperi hic recenſere non piget. Sunt autem hi: in Januario notati ſunt. 1. 3. 5. 8 9. 16. 20. In Februario 17, 19. In Martio 14. 16. 28. In Aprili, 12. 14. 25. In Majo 14. 15. In Junio, 24. In Julio, 4. 15. In Auguſto, 16. In Septembri, 8. 12. In Octobri, 19. In Novembri, 7. 19. In Decembri, 6. 18. 23. Ruſtici penè omnes diebus Apoſtolis dicatis panem pinſere, cereviſiam coquere, opus fabrile exercere, aut aliquod aliud quod igni perficitur, aggredi, adhuc ominoſum ducunt. *Dies atri infaſti notati.*

In obſoleta quadam & detritâ chartâ ab amico quondam communicatâ, de atris diebus patrio idiomate hæc conſignata accepi. *Attende parumper, dignum eſt ſcitu. Triginta tres in anno ſunt dies, à quibus tibi caveas oportet, plurimum enim nocumenti adferre ſolent. Quicunq; horum dierum aliquo ægrotare inceperit, aut raro, aut nunquam convaleſcet. Quicunq; horum aliquo editus fuerit in lucem, aut cito moritur, aut variis doloribus ac moleſtiis erit obnoxius. Hiſce diebus matrimonium contrahere, eſt plane infauſtum, de domo aut regione unâ in aliam migrare, calamitoſum. Itinera qui hiſce diebus inſtituit, aut vitæ incurret periculum, aut pauperie obruetur, emptioni, venditioni & cauſis forenſibus planè ſunt inepti.* *Alii dies atri Danorum.*

Ian-

Januarii ſunt ſeptem: 1, 2, 4, 6, 11. 13, 20.
Februarii tres: 11, 17, 18.
Martii quatuor: 1, 4, 14, 15.
Aprilis tres: 10, 17, 18.
Maji tres: 7, 15, 18.
Junii unicus: 6,
Julii duo: 17, 21.
Auguſti duo: 20, 21.
Septembris duo: 10, 18.
Octobris unicus: 6.
Novembris duo: 6, 10.
Decembris quinq; : 2, 3, 6, 10, 11.

Gallorum dies atri. Nec Galli dies atros obſervationis ſopitæ eſſe permiſerunt, præter alios etenim dies, quos D. Jobo revelatos vulgus credit, in æſtimatione apud eos fuiſſe oſtendit eruditiſsimus medicus Laurentius Joubertus, Notis in Chirurgiam Guidonis Cauliacenſis, ſub titulo: *Les Iours heureux & perilleux de l' Annee reveleez par l' Ange au bon ſainct Iob*, ubi dies tam fauſtos quam atros Jobo per Angelum revelatos hoc ordine recenſet;

Dies Jobo revelati.

Dies fauſti. Gallis, Heureux.

Januarii duo; 3. & 13.
Februarii duo; 5 & 25.
Martii tres; 1, 8, & penultimus.
Aprilis tres; 5, 22 & 29,
Maji duo; 4 & 27.
Junii duo; 3 & 8.
Julii tres; 2, 13 & 16.
Auguſti unicus, 12.

Sep-

Septembris quatuor, 1, 7, 23 & 27.
Octobris duo; 4 & 15.
Novembris duo; 14 & 20,
Decembris duo; 18 & 26.

Dies verò *atri* quos *perilleux* vel *Iours desvoyez* vocant, quosq; Jobo revelatos dicunt, hi ſunt:

Januarii ſex: 1, 2, 4, 6, 8, 15.
Februarii tres: 5, 17, & 18.
Martii quatuor: 6, 16, 17 & 18.
Aprilis duo: 6, 15.
Maji tres: 7, 15, & 17.
Junii unicus: 6.
Julii duo: 15 & 17.
Auguſti duo: 19, 20.
Septembris duo: 16, & 17.
Octobris unicus: 6.
Novembris duo: 15, & 17.
Decembris tres: 6, 7, & 11.

De eorum viribus & efficacia conſule ipſum Joubertum, cujus verba brevitatis ergò, omitto.

Caput XXV.

Quid de atrorum aliorumq; ejus generis dierum obſervationibus tenendum.

QVamvis cœleſtium corporum certis temporibus determinati influxus ac invicem aſpectus, ad aëris temperiem moderandam, tempeſtates in hiſce inferioribus excitandas, ac terræ fertilitatem promovendam, multum conferre experientia comprobet; ut idcirco prudens Agricola, dies *Aſtrorũ in inferiora vires*

 ſe-

felici irradiatione conſpicuos, ab iis quibus contrarium contingit, nullo non præferat jure; attamen urgente neceſsitate in hiſce ſcrupuloſior ſi eſſet, omnem quandoq; recte agendi occaſionem è manibus ſibi elabi pateretur. Si etenim meſsis tempore diebus ſerenis fruges in horreum congerere nollet, ob infauſtos quosdam ſyderum aſpectus, ſubverendum eſſet, ne ingruente pluviâ, faventibus aſtris, majori ſuo cum damno id præſtaret.

Qui dies ſint ſuperſtitioſi

Iſtos præterea dies, qui nec ratione Phyſicâ, nec Aſtrologicâ, nec inſtituto, pro candidis aut atris habentur, curioſius ſpectare ac ſeligere non impium ſolum, ſed rationi planè abſonum videtur. Utpote à quo non ſolum divinorum oraculorum nos abſterrent monita; ſed etiam ipſi Ethnicorum ſuperſtitionibus alioquin irretiti, cordatiores.

Dierum electiones ſacræ literæ prohibent.

Gentium Apoſtolus D. Paulus licet lenitate & modeſtiâ duritiem cordium ſibi concreditorum Romanorũ ut emolliret, in minoris momenti negotiis, quæ ipſum fidei fundamentum non evertunt, multa ad tempus toleraverit, vel in meliorem uſum convertere ſtuduerit; ad eos tamen de dierũ electione ſcribens in hæc verba, cap 14. v. 5. erumpere non veretur: *ὃς μὲν κρίνει ἡμέραν παρ' ἡμέραν, ὃς δὲ κρίνει πᾶσαν ἡμέραν. Ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω.* Quibus licet infirmiores fratres ob dierum dijudicationes non perturbandos, nec rejiciendos eſſe in primâ præſertim converſione, indulgeat: attamen hæc mox ſubjungere non dubitat. *Ὁ φρονῶν τὴν ἡμέραν κυρίῳ φρονεῖ, καὶ ὁ μὴ φρονῶν τὴν ἡμέραν κυρίῳ οὐ φρόνει.* Quaſi diceret ita dies eſſe dijudicandos, ut tamen omnes ſub potentia divina concluſos arbitremur, quocircà juxta præſcriptum divinum tantum de iis ſtatuendum. Cum Galatis verò in fide adultioribus, ubi ipſi eſt hac de re negotiũ, tanta lenitate non utitur, quin potius diſertis verbis, dierum electionem tanquam rem ſuperſtitioſam ipſis exprobat cap. 4 v. 10 & ſeq. *ἡμέρας παρατηρεῖσθε* (id eſt præter jus & fas ſuperſtitiosè obſervatis) *καὶ μῆνας, καὶ καιροὺς, καὶ ἐνιαυτοὺς, φοβοῦμαι ὑμᾶς, μὴ πως εἰκῇ κεκοπίακα εἰς ὑμᾶς.* Ne vero quis eam vehementiam

in

In ipſo repræhendat, ac aliàs ipſum in hoc negotio leniorem fuiſſe objiciat, mox v. 13. reſpondet, ſe propter carnis imbecillitatem quandoq; quædam conceſsiſſe; ſed jam aliter ſe rem habere: οἴδατε, inquit δὲ ὅτι δι' ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς εὐηγγελισάμην ὑμῖν τὸ πρότερον. Ita ut ſuperſtitioſam dierũ obſervationẽ non potuerit non improbare. Siquidem & Deum ipſum Deut. 18. v. 10. & ſeq. talia ſeverè prohibuiſſe animadvertere licet.

Auguſtinus divinorum eloquiorum eruditiſsimus interpres diſtrictè prohibet, ne Kalendas menſium, aut dies obſervemus Ægyptiacos, & ad illud Moſis: *Sydera poſita ſunt in ſigna & tempora: Non ſigna*, inquit, *quæ obſervare vanitatis eſt: ſed vitæ uſibus neceſſaria, qualia Nautæ, Agricolæ & id genus artifices obſervant.* Et alibi: *Calendas menſium & dies Ægyptiacos non obſervetis. Sed quia a vulgo ſuſpecti ſunt rejicite.* *Auguſtini de dierum electione ſententia.*

Profani quin etiam autores huic ſubſcripſere ſententiæ. Sic namq; Arnoldus de villa nova, de Regim: Sanitat: cap. 37. *De diebus autem Ægyptiacis ſcriptis in antiquo Calendario, dico quod non eſt cauſa naturalis quare fuerunt maledicti, ſed ſupernaturalis; nec fuerunt maledicti apud omnes gentes, ſed apud illos de regno Pharaonis. Et ſi tempore illo fuiſſet aliqua mala conſtellatio, tamen per temporis proceſſum illa conſtellatio, jam mutata eſt. Propter opinionem vulgi, qui credit nihil fiendum in talibus diebus; ad honorem feriæ Dei Auralis, aliquando à phlebotomia abſtinui quando non erat neceſſaria, & hoc propterea ne infamiam vulgi incurrerem; tamen in me & meis tale nihil obſervavi, nec obſervabo.* *Arnoldi villanovani de Ægyptiacis judicium.*

Gvido Cauliacenſis Tract. 7. doct. 1. cap. 1. de phlebotomia agens, Ægyptiacos dies etiam planè reſpuit. *Ægyptiacos* inquit, *dies quod attinet, illos curare non magnopere eſt neceſſarium; Interim obſervant eos propter imaginationem & ſermones vulgi.* *Cauliacenſis de Ægyptiacis dieb. judicium.*

De iisdem idem judicium Rantzovii noſtri: *Nonnulli etiam*, inquit de cons. val. c. 26. *obſervant dies Ægyptiacos ab viis de iis Ægyptiis inventos, opinantes quod qui in his ægrotare incipiant, vix aut nunquam evadant, quod mihi tamen non veriſimile videtur.* *Ranzo. ſententia*

Jouberti de diebus Jobi cenſura.

De diebus quos D. Jobo revelatos ferunt, idem ſentit Joubertus loco ſuperius adducto: *Il y a,* inquit, *des Allmanachs esquels ſont autrement cottez les bons & les mauvais jours: qu'on dit avoir eſte revelez a Iob. Ce ſont toutes choſes vaines.*

Luculli de atris diebus apophthegma.

Superſtitioſorum horum vanitatem, egregio facto reprobavit Lucullus, quamvis ethnicus. Hunc enim in Tigranem mox pugnaturũ, cum amicorum nonnulli á bello eo die abſterrere conarentur, quod dies foret μία τῶν ἀποφράδων, ἃς μελαίνας καλοῦσιν. Ea quippe cum Cimbris á Cepione malè pugnatum: reſpondere non dubitavit, ἐγὼ καὶ ταύτην εὐτυχῆ ποιήσω ῥωμαίοις. Stultam hanc eligendi dies ſuperſtitionem falsè irridens, ac facto ipſo refutans.

Rodigini de atris diebus diſcurſus

Non injucundus extat apud Cæl. Rodig. hac de re diſcurſus, cui hic locum tribuere non verebor. Sic igitur lib. 14. cap. 19. inquit: *Illud utiq; omnem apud me admirationem excefferit, qui fieri potuerit eos potiſſimum in rebus gerendis infelices, qui dir. diculam temporum obſervationem ac momenta ſingula tam evigilatè miſerunt in digitos. Quin è diverſo fortunæ afflatu benigniore uſos, qui vanitate rejecta, prudentiæ tantum atq; rationis luminibus innitendum cenſuere. Zoroaſtris ſcientiam inter veteres Theologos quis non novit? Fuit is & cæleſtium rerum peritia usq; ad magiam, ut quidam volunt, pernobilis. At eundem á Nino victum bello & occiſum, enotatum Annalibus eſt. Pompejum biſce divinaculis præcipuè mancipatum, non tacuit hiſtoria, at bone Deus, quam miſer exitus, quam non populi Romani dignus principe! Contra Cæſar iſta exculcabat ridebatq;, læta tamen, quod ad bellorum attinet rationem, illi affulſere ferè omnia, proſtratas, occidione occiſas hoſtiles vidit copias, & mox ſe terrarum principem.*

FASTO-

FASTORUM DANICORUM LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

De Faſtis Danicis in ſpecie.

EA QUÆ DANORUM FASTOS IN genere concernere videbantur, ſiquidem pro inſtituti ratione hactenus expedivimus, eſtare jam videtur, ut eorum qui fundamentum & cauſa hujus noſtri extitere diſcurſus, delineationem exhibeamus, ne & ficta produxiſſe & liberalibus ingeniis fraudulenter impoſuiſſe videamur. Omnes autem qui ad manus noſtras pervenere, quibusque in his conſignandis uſi ſumus, depingere, & moleſtum nimis & neceſſarium minus. Sed quia in certas claſſes ſupra eos redegimus, cujusque ſpecimen unum aut alterum exhibere, ſufficere arbitramur. Ita autem in toto hoc verſabimur negocio, ut ii faſti qui in chartis depicti ac deſcripti ad nos pervenerunt, eâdem qua accepimus fide cum interpretationibus exhibeantur: quos verò in *ἀυτοτύπῳ* ligneo accepimus, eos tàm quoad longitudinem, quàm quoad latitudinem aliasque dimenſiones ac circumſtantias, figuras item, adhibitâ pedis Romani ejusque partium menſurâ delineabimus. *Libri ſecundi argumentum.*

In ſculpturâ nil prorſus quoad rei eſſentiam mutatum. Quinetiam ne quis habeat, quod hoc in genere deſiderare poſsit, corollarii loco faſtorum correctorum & ad ſæculum noſtrum (quantum quidem fieri potuit) accommodatorum ſpecimen exhibere placuit, cujus pro

ſubitu variari poteſt figura, modo characteres retineantur.

In particulari cujusvis enodatione ſigna feſtorum per numeros exponere coacti ſumus, à capite incipiendo, tum quod faſtorum corpus hæc capere nequiverit, tum quod ſigna ipſa ſeparatim exprimere non adeò fuerit facilè. Occurrunt quædam in Norvagicis inprimis, quorum adhuc nos fugit interpretatio; tum quod αὐτοδίδακτοι ferè in hiſce verſamur, tum quod illi quosdam exhibeant feſtivos dies, Danis minus celebratos. Interim totum hoc negotium ita expediemus, ut ea quæ noſtratibus ſunt notiſsima, alios harum antiquitatum curioſiores indagatores minus lateant.

Caput II.

De Faſtorum perfectorum genere primo.


Faſti perfecti qui. PErfectos faſtos ſupra eos diximus, qui feſtorum ſigna ſufficientia, iisque additas operum notas, cum Cyclis Solari & Lunari exhibent. Perfecti verò cenſentur, non quod in iis nihil ad perfectionem deſit (in omnibus enim, ut reliqua taceam, aurei numeri ſitus noſtro ævo minus reſpondet) ſed quia collatione habitâ inter eos qui in manibus multorum ſunt, ii qui notas adductas habent, perfectiores ſint reliquis, in quibus aliquid horum deſideratur.

Faſtorũ perfectorum tres ordines. Horum autem tres ordines commodè ſtatui poſſe, ſiquidem antea monuerimus, de primo qui Cyclum Lunarem & Solarem Runicis exhibet notis, quiq; ea de cauſa vetuſtatis prærogativâ gaudere videtur, prius agemus. Ejus autem duo exhibebimus παραδείγματα, tum quod altero in chartâ conſignato ſaltim ſimus uſi, altero vero in αὐτοτύπῳ; tum ut varietas (quæ tamen omni ex parte exprimi nequit) aliquo modo appareat.

Faſtorũ perfectorum 1. paradigma. In chartâ conſignati ad nos tranſmiſsi fuerunt, quos primo loco hic ponimus: hiſce quidem verbis lingvâ vernaculâ delineati: Baculus, inquit autor, eſt oblongus, hexagonus, in duo latera diviſus, quorum quodq; tres continet paralle-

los.

los. Primum latus cum ſuis parallelis à feſto circumciſionis in julium usq; anni curſum exhibet: alterum à Julio in Januarium. Figura talis ferè eſt, A.



Ut horum ſenſum melius aſſequare, legendo & computando à ſiniſtris in dextram progredi oportet, ac ſimul nota, quod ubicunque ſignum hoc ɣ ante diem aliquem feſtum notatum occurrat, inciſum indicet. Sin verò in eodem hoc ſigno, tres transverſæ rectam tangant, inciſum cum ſolemni jejunio præfiguratum volunt.

Reliqua quod attinet feſtorum ſigna, ea in parte priori ſic cape. Primum ſolemnitatem Circumciſionis Domini indicat. 2. Trium Regum. 3. Hilarii. 4. Antonii. 5. Converſionis D. Pauli. 6. Purificationis Mariæ. 7. Blaſii 8. Agathæ. 9. Dorotheæ. 10. Matthiæ. 11. Gregorii. 12. Gertrudis. 13. Benedicti. 14. Annunciationis Mariæ. 15. Tiburcii, Norvagis *fórſte Sommersdag.* 16. Calixti. 17. Georgii 18. Marci Evangeliſtæ. 19. Philip-

lippi Jacobi. 20. Inventionis crucis. 21. Halvardi. 22. Erici. 23. Bonifacii. 24. Butolphi. 25. Decollationis Johannis Baptiſtæ. 26. Petri Pauli.

Partis poſterioris hæc ſunt ſigna, ordine feſtorum conſignata. 1. Viſitationis Mariæ. 2. Canuti Regis. 3. Margarethæ. 4. Mariæ Magdalenæ. 5. Jacobi. 6. Olai. 7. Petri ad vincula. 8. Laurentii. 9. Aſcenſionis Mariæ. 10. Bartholomæi. 11. Ægidii. 12. Nativitatis Mariæ. 13. Exaltationis crucis. 14. Matthei. 15. Michaelis. 16. Franciſci. 17. Brigittæ. 18. Calixti, Norvagis *Förſte wintersnat.* 110000. Virginum. 20. Simonis Judæ. 21. Omnium Sanctorum. 22. Martini. 23. Clementis. 24. Catharinæ. 25. Andreæ Apoſtoli. 26. Barbaræ. 27. Nicolai. 28. Conceptionis Mariæ. 29. Luciæ. 30. Thomæ. 31. Nativitatis Domini. 32. Stephani. 33. Johannis Evangeliſtæ. 34. Puerorum innocentium.

Literæ ſeu potius numeri Dominicales ordine ſecundo in hiſce faſtis propoſiti ſunt ſeptem hi: ᚠ. ᚢ. ᚦ. ᚮ. ᚱ. ᚴ. ᛬. qui toties repetuntur, quoties opus eſt ad totius anni curſum abſolvendum, ut ſeptimanarum numeros, ac dies Dominicos oſtendant. Ob notarum defectum commodius exprimi non potuerunt, vide iconem.

Ordine tertio aureus numerus menſis Lunaris menſor, Novilunii index, totiusque ſyſtematis director, exhibetur, notis itidem Runicis, paululum in quibusdam ab uſitatis, linearum ductibus ſitu & facie deflectentibus. Horum autem hæc fermè facies & valor.

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19.
ᚠ.	ᚢ.	ᚦ.	ᚮ.	ᚱ.	ᚴ.	ᚼ.	ᚿ.	ᛁ.	ᛅ.	ᛋ.	ᛐ.	ᛒ.	ᛚ.	ᛘ.	ᛦ.	ᛮ.	ᛯ.	ᛰ.

Infra aureorum ſeriem quibusdam in locis hæc occurrit nota ⊙, quæ dies atros indicat, quos ad opus aliquod peragendum infauſtos penitus judicant. In *αὐτότυπῳ* non notis hiſce, ſed ſtanneo aut æreo clavo per Dominicales notas transfixo expreſſos eos fuiſse monet Author. In charta verò commodius conſignari non potuerunt.

Ca-

CAPUT III.

De Faſtis ejusdem cenſus, ſed figura diverſa.


AD claſſem perfectorum hos referimus quos quercino ligno, aſſeris oblongi, cum manubrio figuram referenti inſculptos accepimus. Aſſeris verò cum manubrio longitudo duorum erat pedum, unciarum quinque: Latitudo unciarum trium, craſsities autem tertiam unciæ non ſuperabat partem. Præter ſigna feſtorum conſpicua, tàm notas Dominicales, quàm numeros aureos Runicis exhibent, eaque continent, quæ in perfectis requiri ſupra diximus, ob quam cauſam ad hanc claſſem eos retulimus. *Faſtorū perfectionis ſecundi ordinis paradigma.*

Quoniam verò in hiſce haud pauca extant à ſuperioribus diverſa, quæ ſcrupulos legenti injicere poſſint, ea ſignorum explicationi præmittenda duxi. *Quibus Faſtor. perfect. genus ſecundum à primo differat.*

Primò itaque à dextris in ſiniſtram, non verò à ſiniſtris in dextram, ut in ſuperioribus, legendo progredi oporteт. 2. Cum in duas diſtingvantur facies, illarum quælibet binas ſignorum continet claſſes, harum unaquæque tribus notarum rurſus exaratur ſeriebus. 3. Primæ faciei claſsis prior à die 2. Januarii incipit, & in ſecundum Aprilis terminatur; Poſterior à tertio Aprilis in tertium Julii. Poſterioris faciei claſsis prior, à tertio Julii initium capit & in ſecundum Octobris extenditur. Alter incipit à ſecundo Octobris & die Circumciſionis Domini totum claudit faſtorum corpus. Qui igitur in ſuperioribus totius anni, primus erat dies, Circumciſionis ſcilicet Domini, is in hiſce ultimum occupat locum.

Verum nequaquam heic diſsimulandum, negligentius aliquantò ſculptos hos fuiſſe, præſertim quoad

Dominicales notas & numeros aureos , adeò ut limam noſtram in quibuſdam deſideraverint. Sed ne mentem autoris nos pervertiſſe quiſpiam ſuſpicetur: tales, quales invenimus delineari curavimus. Inverſas etiam notas ſuo reliquimus ſitui, cum dies atros aut aliquid ſimile hac inverſione indicare voluiſſe ſuſpicemur.



Prioris claſsis faciei primæ hæc ſunt ſigna. 1. Feſti-trium Regum. 2. Anthonii. 3. Fabiani Sebaſtiani. 4. Converſionis Pauli. 5. Purificationis Mariæ. 6. Agathæ. 7. Petri. 8. Matthiæ. 9. Gregorii. 10. Anunciationis Mariæ.

Claſsis poſterioris, 1. Ambroſii. 2, Tiburcii. 3. Calixti. 4. Georgii. 5. Marci. 6. Philippi Jacobi. 7. Inventionis crucis. 8. Halvardi. 9. Erici. 10. Bonifacii. 11. Bu-


11. Bartholomæi. 12. Nativitatis Mariæ. 13. Exaltationis crucis. 14. Matthiæ. 15. Michaelis.

Poſterior claſsis hæc continet. 1Franciſci. 2. Brigittæ. 3. Dionifii. 4. Calixti. 5. Luciæ. 6. Urſulæ. 7. Simonis Judæ. 8. Omnium Sanctorum. 9. Martini. 10. Clementis. 11. Catharinæ. 12. Andreæ. 13. Barbaræ. 14. Nicolai. 15. Annæ 16. Luciæ 17. Thomæ. 18. Nativitatis Chriſti. 19. Circumciſionis.

Seriei ſecundæ Dominicales notæ, ut & aurei numeri in tertia exaratæ, ex typo & paradigmate æri inciſo, cuivis ſunt obviæ.

Ad hanc claſſem neſciò an referam peculiare illud genus quod oſsi concavo, partem mandibulæ grandioris cujusdam piſcis repræſentanti inſculptum eſt, longitudine trium quartarum ulnæ, latitudine circa baſin, unius, figurâ triquetra, ex Norvegia allatum. Quamvis enim tres exhibeat notarum ordines, ſignorum ſcilicet feſtivalium, Cycli Solaris & Lunaris, ultima tamen hæc valde eſt imperfecta, & notis diſtortis tandem addita, ut ex ejus icone apparet.

Utrinque tam concava quam convexa parte, limbo quaſi cingitur, ex tribus dictis notis conſtante, ita quidem ut quævis ſeries unam anni partem comprehendat, à die Calixti incipiendo. Non eſt quod ſingulorum enodatione occupemur, cum ex præcedentibus ſatis conſtet. Hoc non omittendum quod Circulorum qui circa baſin conſpiciuntur alter in convexa parte, Solaris ſit, in concava Lunaris, quamvis mutilus ac omni ex parte nequaquam perfectus.



CAPUT IV.

De faſtis perfectis ſecundi ordinis.

QVamvis hactenus exhibita faſtorum παραδείγματα quid per faſtos perfectos intelligamus abundè oſtendant: ut tamen evidentius appareat, non omnes ejusdem eſſe ordinis, ſed inter hos ipſos tam quoad totius ſyſtematis figuram, quam quòad notarum ductus varietatem eſſe magnam, reliquorum ordinum exempla ſubjungere haud pigebit.

Faſtos perfectos ſecundi ordinis eos ſupra diximus, qui quidem tres illas partes quas neceſſariò in perfectis requiri ſtatuimus habent; ſed numerum Aureum non Runicis, verum aliis quibusdam, vetuſtis tamen, conſignatũ obtinent. Hujus generis ſunt illi quos mox exhibebimus, quique novem laminis buxeis lingvæ figuram referentibus, & clavo ferreo in extremitatum altero ita connexis, ut commodè circumvolvi queant, conſtant. Laminæ cujusque longitudo eſt unciarum 5½. Latitudo unciæ 1½. Craſsities verò dorſum mediocris cultri non ſuperat. Harum unamquamque tribus notarum ſeriebus conſtantem, in duas dividimus facies, quarum altera, dum ab initio computare incipimus, obverſa, altera inverſa eſt. Primum itaque obverſas omnes (eo enim ordine inſpiciendum) deinde inverſas proponemus. *Faſti perfecti ſecundi ordinis.*

In hiſce verò & hæcce peculiaria ante omnia obſervanda veniunt.

1. Initium anni vel computationis, non à feſto Circumciſionis Domini, aut primo Januarii, hi capiunt Faſti, ſed à die Tiburcii qui in 14. Aprilis incidit & primus dies Æſtivalis exiſtimatur. Cur autem annum ab hoc die quidam inchoarint, ſupra à nobis eſt oſtenſum.

2. A ſiniſtris, quo clavus ſpectat, legendi initum capere oportet, ita quidem, ut à fine unius obverſæ laminæ, ad principium alterius pergas, quousq; obverſas omnes perluſtraveris. Quibus ita abſolutis, laminæ invertendæ, ut illa

quæ prima erat inter obverſas, primo quoq; loco ſtatuatur, licet quoad ſitum, infimum teneat.

3. Ut primus dies in laminis obverſis occurrens, Tiburcio eſt dicatus, ita primus inverſarum Calixto, qui in 14. Octobris incidit, & initium præbet noctibus hyemalibus Ubi ne turberis, ſubmonere lubet, Calixto à Pontifice Romano binos in anno aſsignatos eſſe dies, quorum alter 16. eſt Aprilis, alter 14. Octobris, de quo hic loquimur. Ego certè, diu multumque an alter Calixti dies errore quodam irrepſiſſet dubitavi, fidemq; Calendariorum in dubium vocaſſem, ni hunc mihi ſcrupulum exemiſſet Beda, qui duos hujus nominis oſtendit in Divorum cenſum relatos eſſe. De priori enim ad 16. Calend. Aprilis in Ephemeridibus ita canit.

Sexta & dena Chariſo Caliſtoq; refulget
Quos mare ſeptena merſos cum plebe beavit.

De poſteriori verò, quem hic ſpectamus quiquePapa & Matyr fuiſſe fertur 2. Iduum Octobris, hæc habet.

Caliſtus pridie Antiſtes, matyrq; trophæo
Præcellens multo & comitatus martyre fulget.

Feſtorum ſigna heic propoſita non multum diſcrepant ab iis quæ proximis ſunt exhibita, ne tamen difficultatis quidpiam in his occurrat, cujusque laminæ notas recenſebimus, obverſas primo, deinde inverſas ordine exhibendo.

Faciei obverſæ, lamina prima has habet. 1. diei Tiburcii 2. Calixti. 3. Georgii. 4. Marci 5. Philippi Jacobi. 6. Inventionis crucis.

Lamina ſecunda. 1. Sophiæ. 2. Halvardi. 3. Urbani.

Lamina tertia. 1. Bonifacii. 2. Botildæ.

Lamina quarta. 1. Johannis Baptiſtæ. 2. Ducis Canuti. 3. Petri Pauli. 4. Viſitationis Mariæ. 5. Chiliani.

Lamina quinta 1. Margaretæ. 2. Mariæ Magdalenæ. 3. Jacobi. 4 Olai. 5. Petri ad vincula.

Lamina Sexta. 1. Dominici. 2. Laurentii 3. Viſitationis Mariæ.

La-

Lamina Septima. 1. Bartholomæi. 2. Decollationis Johannis. 3. Nativitatis Mariæ. 4. Elevationis crucis.

Lamina Octava. 1. Matthæi. 2. Michaelis. 3. Franciſci.

Lamina Nona: Brigittæ.

Faciei inverſæ lamina prima exhibet primo notam diei Calixti. 2. Urſulæ. 3. Omnium Sanctorum. 4 Omnium animarum.

Lamina ſecunda: 1. Vilhaldi. 2. Martini. 3. Apparitionis Mariæ. 4. Clementis. 5. Catharinæ.

Lamina tertia. 1. Andreæ. 2. Barbaræ. 3. Nicolai. 4. Conceptionis Mariæ. 5. Luciæ.

Lamina quarta. 1. Thomæ. 2. Nativitatis Chriſti. 3. Johannis Evangeliſtæ. 4. Innocentium. 5. Circumciſionis Domini. 6. Trium Regum.

Lamina quinta. 1. Hilarii. 2. Converſionis Pauli.

Lamina ſexta 1. Purificationis Mariæ. 2. Blaſii. 3. Agathæ. 4. Dorotheæ. 5. Scholaſticæ 6. Vinculorum Petri.

Lamina ſeptima. 1. Matthei. 2. Gregorii. 3. Gertrudis.

Lamina octava: 1. Benedicti. 2. Annunciationis Mariæ.

Linea obliqua principalium feſtorum notas præcedens, inciſum indicat diem, partim divinis, partim humanis & domeſticis negotiis impendendum. Dominicales notæ Runicæ quidem ſunt, attamen diverſos aliquantulum ab hactenus enumeratis obtinent ductus, hamis enim quibusdam maximâ ex parte onerantur, ut ex typo cernere licet. Feſti præterea dies in hiſce unicâ poſtponuntur notâ: ut Tiburcii dies qui ſupra notam Dominicalem *Y* in ſuperioribus erat deſcriptus, in hiſce ſupra ſequentem, ✱ ſcilicet extat, quod in reliquis omnibus pari ratione obſervare licet. Quod fieri neceſſario oportuit, ſiquidem circa feſtum Circumciſionis binæ ſunt intruſæ Dominicales notæ, cum unicam ſaltem repetere deberent, quo factum ut tota Dominicalis ſeries ſit immutata. Aurei numeri (quorum notis, ab hactenus propoſitis ſatis, hi inprimis diſtingvuntur) ex linea recta oblonga & transverſis axis, vel rectis integris & dimidiatis, vel

vel curva & transverſis ſunt conflati, ut in paradigmate cernere licet, quod hic ſub litera C expreſſum vides.




Laminatis hiſce Faſtis annumerandi illi quorum hic ſubnectimus ideas. Primum genus ex novem conſtat laminis quadratis buxeis, duobus foraminibus in angulis pervium, per quæ trajectus funiculus ſericus coloris viridis, eas ita connectit, ut commode aperiri ac claudi, inſtar libelli, tota poſsit compages. Quælibet verò lamina longa eſt pollices duos cum ſemiſſe, lata duos minus una tertia.


Pri-

Prima lamina facie obverſa Runicis literis Cyclum Solarem ac Lunarem Circulis inſculptum exhibet: quos duo ſuſtinent Angeli ac totidem animalia quadrupedia, arte priſca expreſsa. Secunda notis prædita eſt iisdem, ita diſpoſitis, ut Cyclum Paſchalem Dioniſii exhibeant: quibus ad latera draco quidam ornatus cauſa additus. Sex ſequentes ita ſunt diſpoſitæ ut quævis contineat duorum menſium Solarium notas, unius quævis facies à Janvario incipiendo. Tribus autem notarum generibus quivis abſolvitur menſis: primo feſtorum ſignis & divorum iconibus affabrè ſatis ad ejus ſæculi normam elaboratis, ſecundo Cycli Solaris Runicis notis, tertio Cycli Lunaris, ſeu aurei numeri characteribus ejusdem cenſus. Nona verò & ultima lamina, interiore ſuperficie hiſtoriam exhibet Angeli natum Servatorem paſtoribus annunciantis, exteriore Cyclum Solarem & Lunarem diſtortis notis.

Ævi remotioris non videntur hi faſti, ſiquidem menſium Solarium ſequantur ductum & terminos, ac cælaturæ veteribus minus conſuetam elegantiam.



Alterum genus quamvis ad imperfectos referendum ſit Faſtos, ſiquidem in eo Cyclus deſideratur Lunaris, ſeu aureus numerus: ac tantum obſcuras præbeat Feſtorum notas, & literas Runicas peculiari modo punctulis exornatas, ut Cyclum Solarem ſeu Dominicales literas repreſentent, eo modóque ex ſpecimine unius laminæ hic exhibito liquet: quia tamen pluribus conſtat lamellis, ex cornu Rangiferi, ut puto, elaboratis, huc referendum quoq; erat. Totum corpus in libelli ex tredecim foliolis corneis conſtantis redactum erat figuram; ſed olim funiculo ſaltim conjunctas fuiſſe laminas, docent duo foramina quibus omnes pertuſæ ſunt eodem prorſus in loco, circa medium. Harum quævis longitudine æquat pollices quatuor, latitudine paulò plus uno; quavis facie quindecim continens Dominicales, excepta prima & ultima, quæ in una ſaltim notas habent. Specimen hic cape.



Caput V.

De tertii ordinis faſtis perfectis.

Faſti perfecti tertii ordinis. Ultimum inter perfectos faſtos iis tribuimus locum, qui licet nullas planè habeant notas Runicas, alias tamen æquipollentes obtinent, licet non æquè vetuſtas.

Illi v. quorum ideam hic exhibere decrevimus, in aſſere quadrato, oblongo tamen, ex ligno pirino ſculpti erant. Longitudo aſſeris pedem Romanum ferè æquabat (minor namque erat duabus unciæ tertiis) Lati-

ti-

titudo octo unciarum erat, craſſities duarum tertiarum unciæ.

Binas habebat facies, quarum quælibet ſignorum ordines ſex, in quovis verò ordine tria notarum genera, quæ in perfectis requiri aliquoties monuimus.

A ſiniſtris in dextram latinorum more computationis labor inſtituendus, ubi primo Tiburcio dies dicatus occurrit, quem ordine reliqui inſeqvuntur, usque ad 14. Octobris, qui Calixto inſcribitur, hic etenim poſterioris faciei præbet initium.

Ordine primo anterioris faciei hæ occurrunt feſtorum notæ. 1. Diei Tiburcii. 2. Calixti. 3. Victoris. Norvagi *Gang dag* vocant, tum enim pecora per hyemem ita paſta eſſe addecet, ut commode ad pabula greſſum dirigere valeant. 4. Georgii 5. Marci. 6. Philippi Jacobi. 7. Inventionis crucis.

Ordine ſecundo. 1. Halvardi. Halvard Soche. *Soche* vero Norvagis conventum celebrem & Encœnia notat. 2. Sophiæ.

Ordine tertio: 1. Botildæ. 2. Jacobi. 3. Johannis Baptiſtæ. 4. Petri Pauli. 5. Viſitationis Mariæ. 6. Canuti Ducis.

Ordine quarto. 1. Margaritæ. 2. Mariæ Magdalenæ. 3. Jacobi. 4. Olai. 5. Vinculorum Petri. 6. Dominici. Norvagi vocant Olai *Stere*. 7. Laurentii.

Ordine quinto. 1. Aſſumptionis Mariæ. 2. Bartholomæi. 3. Decollationis Johannis Baptiſtæ. 4. Nativitatis Mariæ.

Ordine ſexto 1 Elevationis crucis. 2. Mathei. 3. Michaelis. 4. Franciſci. 5. Birgittæ. 6. Dionyſii. D. 1.

Facies prior.



Faciei poſterioris ordo primus primo exhibet diem Calixti. 2. Lucæ. 3. Urſulæ. 4. Simonis Judæ. 5 Omnium Sanctorum. Signum canis quod ſequitur venationi oportunum tempus abſq; dubio indicabit. 6. Martini.

Ordo ſecundus: 1. diem apparitionis Mariæ. 2. Clementis. 3. Catharinæ. 4. Andreæ. 5. Barbaræ. 6. Nicolai. 7. Conceptionis Mariæ. Ordo

Ordo tertius: 1. Luciæ. 2. Thomæ. 3. Nativitatis Chriſti. 4. Stephani. 5. Johannis 6. Puerorum. 7. Thomæ. 8. Circumciſionis. 9. Trium Regum. 10. Canuti.

Ordo quartus: 1. Hilarii. 2. Antonii. 3. Converſionis Pauli. 4. Purificationis Mariæ. 5. Blaſii. 6. Agathæ.

Ordo quintus. 1. Cathedræ Petri. 2. Mathiæ. 3 Georgii.

Ordo ſextus. 1. Gertrudis. 2. Benedicti. 3. Anunciationis Mariæ.

Occurrunt præterea in hac notarum ſerie quolibet ordine lineolæ quædam transverſæ unam oblongam interſecantes, quæ diei & noctis longitudinem circa id tempus, juxta quod conſignatæ reperiuntur denotant. Superioris quidem horas diei, inferiores verò noctis ſignificare arbitror.

Duplex A. quod circa feſtum Mathiæ notatur, ſingulis annis biſſextilibus, diem heic intercalandum admonet, ut litera Dominicalis pariter mutationem ſubeat.

Ante feſta celebriora ſæpiuſculè linea recta tribus hamis inverſis onuſta conſpicitur, hactenus à nobis non explicata, dies autem inciſos exprimit, quod ſemel indicaſſe ſufficit.

Secunda notarum ſeries ex literis Dominicalibus eſt conflata, in quibus difficultas planè nulla, ſunt etenim Latinæ, ductibus tamen obſoletioribus expreſſæ.

Nec quenquam hoc peturbet, quod juxta feſtum Circumciſionis Domini A repetatur, id enim neceſſariò fit, ut ſingulis annis literæ Dominicalis fiat permutatio.

In hac deniq; ſerie obſervandum quoque occurrit, quasdam ex literis Dominicalibus lineolâ transversâ ferè inductas eſſe, quæ dies atros & ad opera minus fauſtos indicabunt.

Aureus numerus, qui tertiam complet notarum ſeriem ex punctis, V litera inverſa, & cruce eſt conflatus hoc pacto.

1	2	3	4	5	6	7	8	9.	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19.
·	·	·	·	Λ	Λ	Λ	Λ	Λ	✠	✠	✠	✠	✠	✠	✠	✠	✠	✠
		·			·	:	:				·	·	:·	Λ	Λ	Λ	Λ	✠
								:				·					:	
																	·	

Facies poſterior.



Hæc ſunt præcipua perfectorum faſtorum παραδείγματα, quantum quidem ex hactenus viſis & obſervatis colligere licuit, & quamvis longè plures occurrant in hiſce varietates, attamen haſce qui obſervaverit, in reliquis difficultatem aut nullam, aut certè exiguam ſentiet.

CAPUT VI.

De imperfectorum faſtorum genere primo.

EA quæ faſtos perfectos concernere videbantur ſiquidem hactenus expedivimus, reſtat ut de imperfectis, in quibus vel literæ Dominicales, vel aurei numeri planè deſiderantur jam dicamus. Eorum itaq; delineationes pari modo ex hibebimus principaliores, & quoad omnes ſui partes ordine explicabimus. Sed quia & horum duo occurrunt genera, quorum alterum, licet Dominicalibus notis ſaltim ſit deſtitutum, earum tamen vices vel inciſuræ angulares, vel lineæ in laterum altero inſculptæ ſupplent: alterum verò & Dominicalibus notis & aureis numeris deſtituitur: de priori autem, utpote inter hos perfectori, prius agendum.

Faſtorũ imperfectorum primum genus.

Faſtorũ imperfectorum duo genera.

Illi itaque qui primo loco hic exhibentur imperfecti faſti, ligno fagino oblongo, quadrangulari, quatuor pedum longitudine, craſsitie unciarum circiter duarum, erant inciſi. In laterum uno feſtorum ſigna in altero numeros aureos, in limbo verò intermedio, dierum numerum inciſuris angularibus exhibebant.

Computando, in priori parte, à dextris in ſiniſtram pergere oportet; in poſteriori verò à ſiniſtris in dextram, ut quaſi in orbem anni circumvolvatur revolutio. Apud noſtrates haud infrequens jam eſt hoc genus, quamvis in ſuſpicionem imperfectionis eo nomine pervenerit, quod aureus numerus à novilunii die nimium exorbitet.

Hoc habent peculiare præ reliquis, quod in fine Martii & principio Aprilis duplicem contineant numerum aureum, cujus uſus mox eſt indicandus.

Signa feſtorum hoc ordine exhibentur: prioris partis primum eſt Circumciſionis Domini. 2. Trium Regum. 3 Canuti. 4. Fabiani & Sebaſtiani. 5. Converſionis Pauli. 6. Purificationis Mariæ. 7. Blaſii. 8. Petri. 9. Mathei. 10. Lucii. 11. Gregorii. 12. Gertrudis. 13 Benedicti. 14. Annunciationis Mariæ. 15. Ambroſii. 16. Georgii. 17. Marci. 18. Valpurgi. 19. Inventionis Cru-

crucis. 20. Johannis ante portam Latinam. 21. Ruſticorum 22. Erici. 23. Urbani. 24. Petronillæ. 25. Barnabæ. 26. Viti. 27. Botildæ. 28. Johannis Baptiſtæ. 29. Canuti. 30. Petri Pauli.

Pars poſterior hanc exhibet ſignorum ſeriem. Primum eſt diei Viſitationis Mariæ. 2. Canuti. 3. Margaretæ. 4. Mariæ Magdalenæ. 5. Jacobi. 6. Olai. 7. Petri. 8. Laurentii. 9. Mariæ. 10. Bartholomæi. 11. Decollationis Johannis. 12. Nativitatis Mariæ. 13. Exaltationis crucis. 14. Lamberti. 15. Mathei. 16. Mauritii. 17 Michaelis. 18. Franciſci. 19. Birgittæ. 20 Dionifii. 21 Lucæ 22. Urſulæ. 23. Severini. 24. Simonis Judæ. 25 Omnium Sanctorum. 26. Omnium animarum. 27. Vilhadi. 28. Martini. 29. Apparitionis Mariæ. 30. Clementis. 31. Catharinæ. 32. Andreæ. 33. Barbaræ. 34 Nicolai. 35. Conceptionis Mariæ. 36. Luciæ. 37. Thomæ. 38 Nativitatis Domini. 39. Stephani 40. Johannis. 41. Innocentium puerorum. 42. Thomæ Epiſcopi.

Inciſurarum ſeries duobus limbis quadrati inſculptæ, vices literarum Dominicalium gerunt, diem Dominicum oſtendendo, ac numerum ſeptimanarum totius anni indicando, hinc ſeptima quæque apice pyramidali inſignitur, ut & hoc pacto viciſsitudini dierum inſerviat. Si enim hoc anno illa quæ apice dotatur, Dominicum indicat, ſequenti diem Saturni notabit, & tertio Veneris, ac ſic conſequenter.

Aureorum numerorum notæ eædem ſunt ferè cum iis quæ capite 4. exhibentur, in eo diſcrepantia apparet exigua, quod quinarii nota & ex ea compoſitæ literam P ferè referant virgula clauſa. Ubi duplicatus occurrit, ibi alter, inferior ſcilicet, quià die Benedicti initium capit & ferè ad feſtum Gregorii progreditur, terminum paſchalem indicat, ex cujus notitiâ reliqua feſta mobilia innoteſcunt. Quære igitur in inferiori hoc ordine anni cujus Paſcha experis, numerum aureum, ſi diei reſpondet Dominico, ſequens Dominicus Paſchati tribuitur, ſin vero alteri alicui reſpondet, dies Dominicus qui hunc diem inſequitur, poſtulatum dabit. Qui modus Paſchatos feſtum inveniendi, ut Ruſticis in Dania familiaris, ita facilis & expeditus eſt. Horum Faſtorum particulam delineatam habes litera E, in Faſtis perfectis ſecundi ordinis.

CAPUT VII.

De Faſtorum imperfectorum genere altero.

HI faſti, qui præter feſtorum indicia nil niſi nudas quaſdam lineolas aut inciſuras loco literarum Dominicalium continent, non immeritò in cenſum imperfectiſsimorum referuntur. In iis etenim nihilomninò extat, quod aureos repræſentet numeros, dierum præterea ſeries non niſi confusè admodum ex talibus eruitur lineis. Hujus generis unum hic damus exemplum, quod ligno tiliaceo in figuram baculi oblongi & plani formato, inſculptum, è Norvegià transmiſſum erat; Longitudo pedum duorum, & unciarum quinq;, Latitudo unciæ unius & ſemis, craſsities verò erat trium unciæ quartarum, Figura & notæ ex delineatione ſub litera F melius innoteſcent. *Faſtorũ imperfectorum alterum genus.*

Duobus hic baculus conſtat notarum ordinibus, quorum prior eſt ſignorum dies feſtos, poſterior linearum rectarum omnes reliqvos totius anni repræſentantium, qui ut per ſeptimanas diſtingverentur, in latere craſsitiei lineola ſepimæ cujusque eſt appenſa.

Feſtorum ſigna ex hactenus declaratis abunde ſatis intelliguntur, ut peculiari enucleatione hic opus non ſit. Illud ſaltim obſervandum, quod cum in plerisq; aliis dies D. Virgini dicatos coronâ inſignire ſoleant, in his eius loco virga conſpiciatur, ſeu ramus in varia brachia ſe diffundens.

Aurei numeri cum hic ſint nulli ac literæ Dominicales obliteratæ, nudaque lineola repræſentatæ, uberiori declaratione non indigent.

Modus computandi hic eſt: A dextris in ſiniſtram Hebræorum modo notas recenſe, ac unam faciem hoc pacto ubi abſolueris, alteram eodem modo percurre. Initium verò fit non à die Circumciſonis Domini, ſed à primo

die æſtivali Tiburcio dicato 13. Aprilis repondente, ac prima ſua facie in 14. Octobris progreditur, qui Calxto adſcribi ſolet. Ab eo verò facies altera initium capit incluſive, nec prius ceſſat quàm dictum Tiburcii attingat diem. Hæc qui animadverterit, & in prioribus ſe exercuerit, nullo negotio ſingulos apices horum faſtorum aſſequetur. Vide perfectos ſecundi ordinis, qui ſub litera F. horum partem proponunt hyemalem.

Ad hanc claſſem referendam puto radium iſtum ex oſſe vel ebore confectum, qui extat Lugduni Batavorum in porticu Horti Academici ad meridiem extructa. Signis enim feſtorum rudibus ſatis & dierum indiciis conſtare ſaltim accepi, longitudine eſt pedū duorum cum ſemiſſe ferme: Sed hoc in eo peculiare quod ex oſse conſtet. Ex Norvegia allatum mihi retulit quidam.

CAPUT VIII.

De Faſtis Reſtitutis & ad ſeculum noſtrum accommodatis.

VAria faſtorum ligneorum genera, quibus huc uſque uſi ſunt majores noſtri, & adhuc maximâ ex parte, quibusdam in locis utantur rudiores, hactenus delineavimus, Quæ etſi â quibusdam magnî æſtimentur, ab aliis tamen hoc ſeculo, quo Ephemerides & Calendaria in frequenti ſunt uſu, flocci fieri & in deſvetudinem venire, animadvertere licet. Quamvis enim quidam, in quibus aureus deeſt numerus, minus curioſis poſſeſſoribus id quod expetunt, probè ſatis oſtendere videantur, feſtorum ſcilicet totius anni præcipuorum & dierum certis operibus dicatorum ſeriem, diſtantias & intervalla, cum ſeptimanarum & dierum reliquorum numero: attamen quosdam è contra cernere licet, qui quamvis faſtos teneant, ſuo quidem in genere perfectos, eorumq; uſum probè calleant, quia tamen aureum numerum (utpote veterem ſitum obtinentem) Noviluniis jam neutiquam reſpondere vident, eos planè ſpernunt & rejiciunt. Exiſtimantes

Cur veteres Faſti negligantur.

tes in reliquis minus iis fidendum eſſe, ſiquidem in uno eoque momenti maximi, & ad Agriculturam ſummè neceſſarii voti compotes fieri nequeant.

Aureus numerus quomodo ad ſitum noſtro aevo reſpondentem reducendus.

Quocirca ut eorum deſideriis, quantum quidem fieri poteſt, ſatisfiat, ac res rudioribus agricolis adeo neceſſaria, per tot annorum decurſus ad nos usq; propagata; in ſuo vigore conſervetur, aureus numerus ad eas in faſtis ſedes erit reducendus, quibus huic ſeculo inſervire & Noviluniis utcunq; reſpondere valeat. *Solis namq; Lunæq; motus* (ut rectè diſſerit Nic. Mullerius in ſuo Calendario Romano) *talia ſunt, quæ exactè numerorum calculo ſtrictuq; legibus vix ad amuſſim explicari & in perpetuum coërceri queant, multo minus methodo cyclica κατ᾽ ἀκρίβειαν comprehendi.* Ex uſu igitur fore exiſtimavi, ſi appendicis loco, ideam ligneorum faſtorum exhiberem, qui noſtri ſeculi Noviluniis utcunque reſpondeant, ſimulque reliqua uſitatis congrua exhibeant, ut ii qui hiſce delectantur, habeant quo deſideriis ſuis ſatisfaciant, & quod ad uſum accommodare valeant.

Faſtorũ reſtitutorum duo genera.

Duo igitur horum exhibebimus genera, perfectius alterum, ad veterum normam quoad characteres Runicos diſpoſitum, alterum vero iis reſpondens, quos in frequentiori uſu apud noſtrates eſſe animadverti, literarum Dominicalium loco, inciſuras quaſdam continens.

Faſti reſtituti quibus aucti.

Placuit iiſdem (quod in veteribus reperire non licet) menſium ſolarium decurſum peculiari ſerie adjicere, ut ita noſtro ſeculo magis convenirent, ac harmonia menſium Solarium & Lunarium appareret. Quibus eadem operâ ingreſſus Solis in certa Zodiaci ſigna adjicitur, tum ornamento, tum commoditati inſerviens. Si quis hæc rudiorum captum ſuperare exiſtimaverit, non repugno, ſed qui ſe hæc capere putat, adjiciat, qui minus, omittat, vel in ornamentum locum iis tribuat, donec in eum inciderit, qui hæc doceat.

Figura faſtorum reſtitutorum.

Figuram quod attinet libera eſt, cuivis enim adaptari poſſunt. Ego priores veteribus reſpondentes, baculo octangulo accomodavi, ita ut pars prior, quatuor reſpondeat prioribus baculi lateribus, poſterior verò poſterioribus. Hanc au-

autem figuram commodiſsimam duco, tum quod lignum ea præditum ſuſtentaculi loco in itineribus eſſe valeat, & inter deambulandum honeſtè circumferri; tum quod colis mulierum non rotatilibus ſine omni negocio accomodetur; quò ſi ſequior hic ſexus in temporum ſupputationibus, diebus ab operibus domeſticis vacuis, ingenium exercere ſtudeat (quod nec indecorum, nec à moribus majorum alienum) occaſio haud deſit. Poſteriores hexagono ſcipioni aptiores eſſe videntur. Sed rem & notas ipſas ubi quis habuerit, eas pro lubitu, cuivis ligno ac figuræ accommodabit.

Faſtorum ſigna retinui in plerisque noſtratibus Agricolis uſitatiora, ita tamen ut ea præ reliquis ſelegerim quæ opus aliquod peragendum, aut aliud quid obſervandum lineamentis ſuis oſtendant. Quæ quidem accuratius æri inciſa licet exhibeantur: attamen artificium ſculptoris, Ruſtici calloſa manus minutiſsimos apices pictorios ſcalpendo ſi non aſſequetur, lineamenta tamen rudiora quantum poteſt imitabitur.

CAPVT IX.

De Faſtorum reſtitutorum genere priori.

Faſtorũ reſtitutorum primum genus.

EX buxo aut alio quovis ejus generis ligno, albo aut flavo, levi tamen & polito baculus formetur octogonus ita ut duo, aut ſi ita viſum, quatuor latera reliquis alternatim ſint ampliora aliquantum, ejus longitudinis & craſsitiei, quâ commodè manibus circumferri poſsit, pedum circiter quinque. Hinc primulum in uno laterum anguſtiorum, vicino tamen ampliori, literæ Dominicales tot inſcribantur, quot ad unam partem conſtituendam requiruntur, hiſce mox in ampliori ſupra Dominicales feſtorum ſigna adjice, ut literis ſuis exactè reſpondeant, vel ſi id in quibusdam fieri nequeat, à ſigno ad diem linea ducatur quæ monſtret, cui ſit adaptandum. In tertio latere infra Domi-

minicales debito loco aureos numeros ſtatue. Demum quarto loco menſium Solarium accedant dies, eorumq́; cum Lunaribus harmonia & Solis in ſigna Zodiaci ingreſſus, ita ut ſibi invicem notis debitis omnia probè reſpondeant, juxta ideam æri inciſam quam mox ſubjungemus.

In horum autem Faſtorum enucleatione, curioſiores pauló erimus quam in ſuperioribus, tùm ſignorum rationes inquirendo, tùm prognoſtica & alia quæ quovis die à noſtratibus obſervari ſolent, exhibendo; ut ſi quid in ſuperiorum enodatione deſideretur, hinc peti poſsit, non quod eruditis mentibus digna hæcce arbitremur, ſed ut majorum traditiones in hoc genere repetamus, ac iis qui talibus delectentur ſatisfaciamus: quilibet interim de iis ſtatuat quod rationi quodq́; experientiæ congruum eſſe viderit.

Feſtum Nativitatis Domini ac Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti initium præbet horum faſtorum, tum quod anni civilis Danorum initium ante aliquot ſecula extiterit, ut cap. 12. lib. 1. à nobis ante oſtenſum, tum quod antiquiores faſti quotquot hactenus apud Danos videre contigit, conſtanter adhuc illud retineant. Nec abſurdum cuipiam hoc videri debet, niſi unà abſurdum ducat æram Chriſtianam non à die Circumciſionis Domini, ſed potius Nativitatis Chriſti auſpicari. Hunc etenim annum 1626 à nato, non à circumciſo Chriſto eſſe dicimus. Ut taceam ſolſtitium hybernum, quo Sol curſum ſuum ad nos rurſum dirigit in hoc anni tempus olim incidiſſe: quò potiſsimum veteres reſpexiſſe arbitror.

Faſti reſtituti curà Nativitate Domini annum inchoent.

Primus igitur partis prioris feſtus dies Nativitati Salvatoris noſtri *Ieſu Chriſti* merito dicatus eſt, atque ob id infante faſciis involuto ſignatus,

Ab hoc duodecim incluſivè diligenter Agricolæ obſervant dies, quorum temperiem circulo creta inducto trabibus ita appingunt, ut ſi totus fuerit ſerenus, circulo ſaltim delineetur; ſin totus nubilus tot us circulus creta in-

Prognoſtica à diebus 12. Natalitiis deſumpta.

 du

ducatur, ſi dimidius ſerenus, dimidius nubilus, proportionaliter in circulo deſcriptò id annotent. Ex iis autem totius anni futuram temperiem colligere ſolent; affirmant namq; primum diem Januario, ſecundum Februario, & ita conſequenter reſpondere. Idque *Iulemercke* vocant.

Nec hoc novum adeo aut inſolitum, ſiquidem ex hiſce diebus, de totius anni temperie conjecturas ſumere, etiam tempore Venerabilis Bedæ in uſu fuit (qui anno Domini 734 diem ſuum obiit) ut conſtat ex peculiari, quem hac de re conſcripſit libello Tomo 1. operum, ſub titulo *PROGNOSTICA TEMPORUM* conſpicuo, quem conſulant, qui uberiorem hujus efflagitant ſcientiam. Quin imo a veteribus Geoponicis hoc defluxiſſe res ipſa teſtatur. Sic enim hac de re Mizaldus in Aeromantia claſſe v de ſignis fertilitatis aphor. 16. *Cæterum Democritus & Apulejus ajunt talem futuram anni tempeſtatem, qualis erit dies Brumæ, & menſes tales quales erunt duodecim ab illo: ut primus tribuatur Ianuario, alter Februario, & ita de cæteris.*

Jam verò conqueruntur obſervationibus hiſce eventus non reſpondere, ut olim; quod fortè contingit, quia Natalis Domini jam in ſolſtitium exactè non cadit ut tum temporis. Quod ſi ab hoc computare & obſervationes colligere inciperent, certioribus forſan etiamnum uterentur conjecturis. Nec hoc prætereundum, quod

Cum Lunâ creſcente redit Natalis JESU
Annus conſequitur fertilitate bonus;
Sin redit ut minui patitur ſibi cornua Luna;
Anno, ſunt mala non pauca ferenda, novo.

2. Stephano protomartyri dicatus, phlebotomo innuitur, quod equis hoc die venas incidere ſoleant, ut à morbis per totum annum liberi evadant.

3. Johanni Evangeliſtæ, qui aquilæ in ſacris aſſimilatur paginis.

4. Pueris innocentibus ab Herode truculenter trucidatis, gladio igitur innuitur.

Ul-

Ultimus & penultimus Decembris dies nullo peculiari indicio à nobis notati, à quibuſdam etiam in conſiderationem veniunt. Sic enim de iis Buchlerus.

Ultima lux tibi ſit benè commendata Decembris
Cum praeunte die, cumq́ ſequente die.
Quando quæ multos poſſunt durare per annos *Ligna quando cadenda.*
Ædificaturus cædere ligna voles,
Hæc neq́ putreſcunt, neq́ fiunt vermibus eſca,
Tempore dureſcunt ſed magis atq́ magis.

5. Cicumciſionis Domini feſtum paropſide placentis referta depingitur, quod pueris & familiæ ſtrena largiri ſolent patresfamilias.

6. Trium Regum tribus coronis.

7. Canuti Regis lanceà aut venabulo, quo occiſus D. Canutus, & hoc famuli & famulæ, à ludis Juliis, quibus hoc die finis imponitur, ad opera conſueta abiguntur. Hinc tritum illud, *S. Knud gienner Iuel ud.*

8. Sebaſtiani, ſecuri, tunc enim ligna utenſilibus & fabricationi idonea ſcindenda eſſe aſſerunt, quod ſibi penitus perſvaſum habent quidam, ligna hac nocte à radice divulſa corruptioni nequaquam obnoxia eſſe. Ab hoc enim tempore ſuccum nutritivum attrahere ſolent arbores, vel ut Ruſtici ajunt: *Da kommer der Savi Træet.* quòd quidam his reddidit:

Redditur arboribus ſuccus poſt feſta Sebaſti.

9. Converſionis Pauli, enſe quo Chriſtianos perſequebatur. Hic dies curiosè obſervari ſolet, ut ex eo de futurâ anni qualitate præſagia ſumant; quæ his comprehenduntur:

Clara dies Pauli bona tempora denotat Anni. *Diei S. Pauli prognoſtica.*
Si fuerint venti, deſignant prælia genti;
Si fuerint nebulæ, pereunt animalia quæq́;
Si nix aut pluvia, redduntur tempora cara.

10. pu-

10. Purificationis Mariæ candelabro multis candelis ornato: eo namq; die cereas conſecrare ſolent Romanæ Eccleſiæ aſſeclæ. Quidam certis notis Cap 21. lib 1. propoſitis intervallum inter hunc diem & Dominicam *Eſto mihi* in feſtis conſignatum circumferunt, ut ex eo de feſtorum mobilium terminis fiat conjectura.

11. Blaſii, cornu, quod inflari aptum, ut ad nomen ipſum hoc ſigno fiat alluſio: hoc die piſa comedere vetant Ruſtici.

12. Cathedræ Petri, clave; Nam D. Petrum cœleſtem credunt clavigerum. Hic obſervant quod,

Diei D. Petri prognoſtica.

In Petri cathedrâ glacie ſi ſtringitur unda,
Non perit ante dies, hæc, quater atq; decem.

13. Mathiæ tribus ovis anſerinis, quod ab eo tempore ova parere incipiant anſeres; & hic dies obeliſco notari ſolet, quia:

Prognoſtica diei D. Mathiæ.

Matthias glaciem frangit, ſi invenerit illam;
Ni frangat, magis ut firma ſit illa facit.

Anno biſſextili unus ei præfigitur & litera Dominicalis mutatur. De feſti Mathiæ in anno biſſextili celebratione, hæc in Breviario Arhuſienſi reperi:

Biſſextum ſextæ Martis tenuere Kalendæ,
Poſteriore die celebrantur feſta Mathiæ:
Daci tamen celebrant diem VI Kl. Martij.

Anni biſſextilis incommoda.

Biſſextiles maximè metuunt Agricolæ tanquam infauſtos: hinc clamant. *Vocte dig for Skudaar oc Skudaars Broder*, cauſam reddidiſſe videtur Mantuanus, cum ait:

Vulgus Biſextum eſſe mali putat ominis annum,
Atq; hominum varios infortunare labores.
Tum malè depangi vites, malè ſemina ſulcis
Rura putant credi, pecoris malè pignora naſci;
Semina pomorum pedibus converſa ſupinis:
Et capite in terram memorant adoleſcere miſſo.

14. Lu-

14. Lucii, aratro: quod ſervitiis aulicis arando tum vacare teneantur Ruſtici. *Hougaards Plog skal ud*, inquiunt; ac circa id temporis boves in Germaniam venales abigi ſolent.

15. Gregorii, Magiſtro ferulam ac virgas geſtante, quod pueros ſcholarum Magiſtris ut erudiantur tum committere ſoleant. Adeo ſuperſtitioſi ſunt quidam, ut dormientes hac nocte interrogandos eſſe velint, an animum ſtudiis applicare cupiant, nec ne? quod ſi affirmen', boni ominis id eſſe rentur, ſin tacuerint aut negent, ſtivæ eos adjudicant.

16. Gertrudis, cœnobio, quod monialem fuiſſe ferant.

17. Benedicti, Sue: Eum namq; *Bentſlötte Sov* vôcant Ferunt etenim, quod ſi quis ſues per hyemis ſævitiem ita paverit, ut die Benedicti eos ſudibus fulcire queat, ne tribus ictibus caulis Artemiſiæ dejiciantur, quod tum ſeipſos in poſterum alere ſufficiant. Alii ſerpente depingunt: tunc enim cavernas relinquere, & in aprjcum prodire ſolent. Vexillum additum, cui alterum tertio à die Greg: reſpondet, terminum Paſchalem indicat.

18. Annunciationis Mariæ, *Bebudelſis dag*, Coronâ: Regina cœli quod ſalutetur.

19. Ambroſii, Ollâ: tum piſa non coquenda ſed terræ mandanda volunt.

20. Tiburcii Roſâ ſignavi, quod ab eo die faſtos ſu os inchoent Norvagi, quem *Förſte Sommers dag* ſeu primum æſtatis diem vocant. Vexillum quod ſequitur ei reſpondet, quod diei Benedicti erat annotatum, ut hunc ultimum eſſe Paſchatos terminum indicet. *Paſchalis terminus*

21. Georgii, equo, cui tum equæ committuntur.

22. Marci, cuculo: cujus hoc die ſonum primum audiri ferunt.

23. Valpurgi, ſeu Philippi Jacobi, fago: quæ folia protrudere incipit.

24. Inventionis crucis, cruce ad angulum inferiorem depreſſâ.

25. Johannis ante portam Latinam, *Lille S. Hans.* portà.

26. Sanctorum Ruſticorum, ſportulâ ſeminariâ, hac etenim ſeptimanâ hordeû oportunè terræ committitur. Hunc autem diem quem noſtrates *hellig Bönders dag* vocant nec in Calendario Romano, nec in aliis faſtis reperire potui, ut ſuſpicari liceat agricolas in hiſce regionibus, ob maxime ſolemne agriculturæ opus, quod hiſce diebus exercetur, propriâ autoritate hunc diem ſibi vendicaſſe.

27. Erici, coronâ ſuperius clausâ, ad diſtinctionem dierum D. Virgini deputatorum.

28. Urbani, triplici cruce tribus granis frumenti ſaracenici ſuperius inſignitâ; id enim genus frumenti hoc tempore terræ mandare aſſolent. Hunc inſequens ſignum Solis, diem Solſtitii hujus ævi denotat.

29. Viti, forficibus fulloniis, Vihelmi & Botildæ duobus vexillis. Conjunguntur verò hi tres dies, quod ſolemni voce ſimul *Bodelmeſſ* à noſtratibus vocari ſoleant. Hiſce enim diebus agros fimo obducere vetant, ne ſegetes adurantur.

Prognoſtica dies Viti.

Lux ſacrata Vito ſi ſit pluvioſa, ſequentes
Triginta facient omne madere ſolum.

30. Johannis Baptiſtæ, agno: ad agnum Dei de quo vaticinatus eſt, reſpicientes.

Prognoſtica diei S. Johannis Baptiſtæ.

Baptiſtæ fuerit cum lux pluvioſa, Joannis
Ingrati meſſis plena laboris erit.

31. Ducis Canuti, venabulo. Hunc *Hoſſkund* vocant, quod operibus aulicis circa fœni collectionem tum vacare teneantur Ruſtici.

32. Petri Pauli, gladio & clave.

Hactenus Faſtorum reſtitutorum pars prior, prioribus quatuor baculi lateribus inſculpenda; nunc poſteriorem pari modo deſcribamus.

Primus qui in parte poſteriori horum faſtorum occurrit dies feſtus, eſt Viſitationis Mariæ, Danis *Vor Frue Biergegang*,

gang, atque coronâ ob cauſas ſupra propoſitas notatur. Hoc die.

Si pluit, haud poteris cœlum ſperare ſerenum, Transivere aliquot ni prius ante dies, *Prognoſtica Viſitationis Mariæ.*

Noſtrates Ruſtici ad diem Mariæ Magdalenæ pluviam duraturam expreſse aſſerunt.

2. Regis Canuti, qui *Lee Knud* ſeu *Bonde Knud*, falce meſſoriâ, quod fœni demetendi tempus adferat.

3. Chiliani, ſpicâ, hoc tempore uredo ſegetibus infeſta admodum eſſe ſolet, unde *Kield Suibyg* dictus.

4. Margaretæ, raſtro; fœnum enim verſandum, caloribus Solis exponendum & colligendum monet. Quidam nuce hunc diem notant, ſi enim ſerenitas affulſerit, largum nucum ſperat* proventum, ſin pluvia ingruat, & nucum defectus & meſsis madida metuenda. Hunc diem moderni Calendariographi, præter decretum Ciſio Jani, non ſine inſigni operum ruſticorum & Nundinarum perturbatione in 13. Julii tranſtulerunt, de quo paſsim conqueruntur Agricolæ. *Prognoſtica diei Margaretæ.*

Initium dierum canicularium hic conſtituit tritus verſiculus. *Dierum Canicularium initium.*

Margaris os canis eſt, caudam Laurentius adfert,

5. Magdalenæ, ſcalâ.

6. Jacobi, quem Dani *Ib*, pedo ſeu baculo, quo uti ſolent, qui ad ejus ſepulchrum viſendum Compoſtellam ſe conferunt. Hac nocte glandes creari aſſerunt.

7. Olai, ſecuri Norvagicâ, quâ occiſus.

8. Vinculorum Petri, clave catenatâ.

9. Laurentii, crate, cui alligatus igni toſtus eſt. Ex hujus diei conſtitutione de futuræ hyemis qualitatibus præſagia capiunt ſeniores; ſi etenim tempore matutino Sol clarus oriatur, & veſperi circa occaſum fulgorem de ſe ſpargat, hyemem frigoribus continuandam aſſerunt. *Prognoſtica diei S. Laurentii.*

10. *Aſſumptionis Mariæ, *Dyre vor Frue dag*, more ſolito coronâ.

11. Bartholomei, *Bertilbrydeſtraa,* (ventorum enim tempeſtates & procellæ frugum culmos dejicere aſſolent hoc anni tempore) novaculâ, quâ excoriatus.

12. Decollationis Johannis, paropſide, in quâ caput amputatum continetur.

13. Ægidii, forficibus, tum enim oves todendæ.

14. Nativitatis Mariæ, *Sejermere vor Fruedag*, coronâ.

15. Elevationis crucis, cruce paululum elevatâ.

16. Lamberti cervo; perſvaſum namque ſibi habent Ruſtici cervum hoc die per membrum genitale, ſevum quoddam emittere, quod in torrentibus quandoque colligi aſſolet. Fides ſit penes autores. Hoc die alterum æquinoctium contingere aſſerunt vulgati hi verſus:

Æquinoctiũ Autumnale.

Lambert, Gregori, nox eſt æquata diei.
Vitus, Lucia, ſunt duo ſolſtitia.

17. Mathei, angelo.

18. Mauritii, ſcuto militari.

19. Michaelis, libra, qua depingi ſolet Archangelus.

20. Franciſci, cruce, tum è pomis ac pyris muſtum exprimere aſſolent.

21 Brigittæ, pectine fullonio, lanas namq; purgandas & carminandas monet.

22. Dionyſii piſce, circa id enim temporis halecum captura in Dania feliciter olim inſtituebatur.

23. Calixti chyrothecâ, ab eo die noctes hyemales & alteram faſtorum ſuorum partem auſpicantur Norvagi. Unde & iisdem *winternatten* vocatur.

24. Galli, ſecuri: tum enim retia ſuſpendenda, & pecorum mactationi vacandum.

25. Lucæ, bove quo in ſacris depingitur.

26. Urſulæ, ſeu 11000 virginum, ſagittâ: talibus etenim transfixæ creduntur.

27. Severini, ſtiva: terra enim cui ſecali mandandum, tum aratro eſt præparanda.

28. Simonis Judæ, navi. Piſcatores enim extitere. Hyemis ſævitiem tum metuendam monet vulgatum illud:

Si.

Simonis Judæ poſt feſtum, væ tibi nude.
Tunc inſtant genti mala gaudia veſte carenti.

29. Omnium Sanctorum, templo. Quod ſi hoc die per ſylvarum cacumina Sol radios ſuos diffuderit, ampliſsimam porcorum futuram dicunt ſaginam. *Prognoſtica feſti omnium ſanctorũ*

30. Omnium animarum, circulo, in quo variæ facies.

31. Vilhadi, tribulâ, ſeu flagello, quo grana excutiuntur, horrea enim purganda ſtatuunt ante Martinalia.

32. Martini anſere, qûi aſſatus in ejus veſperâ familiæ apponitur, ut lautius epulentur, ac veteri cónſuetudine cutim curent. Nec veteribus in nullo planè pretio fuiſse anſeres Dureos ac σιτευτὺς invenio; Atheneus enim Deipnoſ. lib. 9. ex Diphilo quendam introducit inter reliqua fercula de anſere dureo, id eſt equi Duratei modo farcto gloriantem, in hunc modum. *Anſerem etiam dureum adduco, magna inflatum mole.*

Sic Plutarchus lib. 13. autor eſt, *Ageſilao Lacedemonio cum in Ægypto appulisſet, Ægyptios miſiſſe anſeres vitulosq́ σιτευτὺς ſeu ſaginatos.* Antigenes Comicus in Bacchantibus fæminis, etiam hujus facit mentionem. *Si quis inquit alendum me ſuſcipe. ret velut anſerem σιτευτον.* Prædictiones quas hic ſuggerit dies, hiſce continentur.

Si Solclarus obit Martino nunciat acrem
Atq́, moleſtam hyemem, ſi nubilus, aera mitem
Prædicat hybernum, dant hæc prognoſtica natis
Paſtores ovium cum feria fantur ad ignem.

Prognoſtica diei Martini.

33. Apparitionis Mariæ, coronâ.

34. Clementis anchora, quod nautis præeſſe credatur: eo die naves in portu, ut à tempeſtatibus & periculis ſecuræ ſint eſſe oportet.

35. Catharinæ, rotâ quâ martyrio affecta dicitur.

36. Andreæ cruce, eadem de cauſa.

37. Barbaræ, Capellâ, quod Deo devotam ferant.

 38. Ni-

38. Nicolai, pedo epiſcopali; ſævitia hyemis jam imprimis vires ſuas exercere incipit. Unde Galli.

Si l' hyver eſtoit outre la mer,
Si viendra il a ſainct Nicolas parler.

39. Conceptionis Mariæ, more ſolito, coronâ

40. Annæ cantharo, tum enim aquam hordeo affundere jubent Ruſtici, ut coquatur cerevisia, quâ ſe per dies Natalitiorum exhilarent. Credo eos ad nomen Annæ hoc ipſo alludere.

41 Luciæ, pede bovino: fingunt enim boves hac nocte adeo eſurire, ut ſi poſsibile eſſet, ungulas devorarent, ob longitudinem, ut arbitror, noctis. Huic etenim diei Solſtitium hibernum (quod nos Solaribus radiis ungulam ambientibus expreſsimus) aſcribit πολυτρίλλιτον illud:

Solſtitiũ hybernũ.

Vitus, Lucia, ſunt duo Solſtitia.

42. Thomæ, manu, extenſis duobus digitis, Chriſtum namq; à mortuis reſurrexiſſe credere noluit, antequam vulneribus digitos immiſiſſet.

In ſecunda notarum ſerie, literæ Dominicales notis Runicis ſculpuntur hoc ordine. ᚠ.ᚢ.ᚦ.ᚮ.ᚱ.ᚴ.ᚼ. eæq; repetuntur, donec omnes anni dies abſolverint. Si quis primam cerâ rubrâ induxerit, reliquas viridi vel nigrâ, & ſeptimanas evidentius oſtendent, & ornamento inſervient.

In tertia ſerie, quæ latere tertio exhibetur, aurei extant numeri, ad eum redacti ſitum, ut quantum fieri poterat, ad novilunia, hoc ſeculo invenienda uſui eſſe valeant. Figuras quod attinet, Runicas retinuimus, quod eæ Danis propriæ, & non aliunde huc delatæ, quodq; in antiquiſsimis faſtis adhuc conſpiciantur. Eas vero genuinis ſuis ductibus, abſque ulla vel inverſione, vel additione exhibemus in hunc modum.

ᚠ. ᚢ. ᚦ. ᚮ. ᚱ. ᚴ. ᚼ. ᚿ. ᛁ. ᛅ. ᛋ. ᛏ. ᛒ. ᛚ. ᛘ. ᛦ. ᛮ. ᛯ. ᛰ.

Quarto latere comprænhenſa in veteribus non reperiuntur, à nobis verò addita ſunt, ut noſtro ſeculo (in quo numeri dierum menſium Solarium maximè habetur ratio (eò me, li-

lius reſponderent hi faſti. Continet verò hæc ſeries, 1. Numerum dierum menſium Solarium. 2. Ingreſſum Solis in ſigna Zodiaci quolibet menſe. Si quis nomina Menſium ſive antiqua, ſive moderna adjicere velit, nullo negotio id præſtare poteſt. Dies atros quod attinet, eos adjicere non placuit, ne ſuperſtitioni anſam præberemus, interim tamen ſi quis fuerit, qui animi gratia eos additos cupiat, ex præſcripto capitis 24 Lib, 1. quos voluerit acubus per literas Dominicales transfixis adjiciat.

Uſus horum faſtorum partim ex jam dictis, partim ex iis quæ in ſuperioribus de Cyclo Solari, Lunari, & feſtorum ſignis in genere diximus, abunde innoteſcit. F.



CAPUT X.

De Faſtorum reſtitutorum genere altero.

QVi hactenus delineatos faſtos, eò quod notis conſtent Runicis, à paucis admodum intelligi, atq; idcirco læ-

cu-

Runicæ literæ cur in Faſtis retinendæ.

Runicæ literæ captu faciles.

culo noſtro minus aptos judicat, is immutatis quibusdam facili negotio hoſce ſimiles reddet iis, quibus vulgo maximâ ex parte jam utuntur. Quamvis forſan, ut veterum ſimplex & accurata ſcribendi & computandi renovetur ac conſervetur ratio, literæque Danis propriæ ab interitu vindicentur, non abs re foret Agricolas Runicis hiſce aſveſcere. Nec eſt quod difficultatem quiſpiam prætendat, cum in toto hoc faſtorum negotio, novendecim ſaltim tales occurrant notæ, quarum repetitione res tota perficitur, quas æquè facilè appræhendet rudis quiſpiam, atque illas quibus earum loco jam utuntur. Dominicales enim nullum negotium eis faceſſere poſſunt, qui aureos tenent, cum ſint priores ſeptem inter aureos. Ne tamen penitus abſterreantur ii quibus hæcce minus arrident, breviter quo pacto ex prioribus alii fiant, iis ſimiles, quibus jam utuntur plerique, monſtrabo.

Faſtorũ reſtitutorum ſecundi ordinis delineatio.

Loco ligni octogoni hexagonum elige, ejus longitudinis, quâ omnes notas inſcribendas commode capere valeat (ſi circulare, quadratum, aut planum ſumpſeris, perinde eſt, plures enim, imo omnes notarum ordines, qui volet, in una facie oſtendere poteſt) Huic in angulorum uno, qui latus reſpicit majus, tot inciſuras imprime, quot dies ſunt in anno, ita tamen ut dimidia earum pars tribus prioribus reſpondeat lateribus, altera reliquis. Super ſeptimam quamq; apicem pyramidalem ſtatue, ſeptimanarum & diei Dominici indicem.

Mox ſupra inciſuras in laterum ampliori, ſigna feſtorum eadem quæ in ſuperioribus conſpiciuntur, ſuis quæque locis colloca, in his etenim ſi conformitas obſervaretur, quosvis faſtos facili negotio addiſcerent juniores. Selegi eum in finem in ſuperioribus ea quæ noſtatibus in frequentiori ſunt uſu, quæque opera certis temporibus peragenda magis oſtendunt. Alterum anguli inciſuris dotati latus, numero aureo inſigniatur, eo ſitu quo in ſuperioribus conſpicitur, quod facilè fiet ab eo qui notas Runicas in eas quæ Agricolis noſtris jam ſunt in uſu converterit. Ut loco ᚠ, pone |-, loco ᚢ, |= loco ᚦ, |≡ & ſic conſequenter. Con-

ver-

verſionis faſtidium ſublevabit tabella cap. 20. lib. 1. propoſita. Si menſe Martio & Aprili duplicem numerum aureum ad terminum Paſchalem indicandum proponere quis voluerit, ei liberum hoc erit, quamvis ſine ejus adjumento facillimè dies Paſchatos inveſtigare queat, ut libro præcedenti cap. 21. à nobis oſtenſum. Tertium hexagoni latus occupet harmonia menſium Solarium cum Lunaribus, dierum cujusq; menſis numerus, aliaq; parte ultimâ præcedentium faſtorum comprehenſa. Hic verò notas immutare non eſt neceſſum, cum perſpicuæ ſatis ſint, & quò ad ſigna Zodiaci in vulgatis Calendariis aſſiduè frequentata. Et quoniam plærosque hujus generis ita exaratos apud noſtrates vidi ruſticos, ut quaſi in circulum recurrant, ſecundam enim faſtorum partem à baculi auſpicantur pede in quem prior terminatur, illud quoque in hiſce obſervari poteſt. Atque ita potiora faſtorum ligneorum & Oſseorum genera perſecuti ſumus. De membraneis jam agendum reſtat.

FASTORUM DANICORUM LIBER TERTIUS.

Plenum exhibens Calendarium Runicum, ante Annos circiter trecentos in volumine membraneo exaratum,

PROOEMIUM.

QVamvis duobus Faſtorum Danicorum libris, tam ea quæ tempora per Faſtos Danicos in lignis & oſsibus exaratos computādi rationē in genere concernūt, quàm quæ eorundem delineationem & varietatem in ſpecie ſpectant, expedivimus, atq́; ita inſtitutum noſtrum abſolviſſe videamur; attamen rei affinitas & raritas poſtulare videbatur, ut tertium hunc, appendicis loco ſubnecteremus, ideam Faſtorum Runicorum completorum exhibentem, iis potiſsimum deſtinatam, qui in hac literaturâ progreſſus fecêre majores, quosq́; minutiſsima quæq́; quæ priora capere non potuerunt, anni curſum concernentia, ſcire addecet. Et quamvis hoc genus, priorum antiquitatem attingere non videatur, locum nihilominus inter hoſce, tum vetuſtatis, tum literaturæ priſcæ nomine, jure ſibi vendicat. Nam ætatem hujus cenſus Faſtorum ex hiſce lineamentis æſtimare haud licet, ſiquidem ante eos qui ad noſtras manus pervenêre, alios multos ejusdem generis conſignatos fuiſſe, á ratione nequaquam ſit alienum. Atteſtantibns id elegantiſsimis & nitidiſsimis literarum ductibus, rubrica quandoq́; diſtinctis, quibus exaratum erat noſtrum autographū, Quod juxta præſcriptum antiquiorum, delineatum fuiſſe minimè dubitamus. Ut annus MCCCXXVIII qui hujus ſcriptioni aſsignatur, nequaquam competere poſsit inventioni, de quâ certi quid aſſerere mearum partium non eſſe fateor.

Faſti completi.

Quibus deſtinati.

Faſtorũ compl. ætas.

Faſti completi unde ad nos delati.

Ne verò ſuppoſititium aut fictum quid à nobis hic produci quis exiſtimet, ingenuè profitemur, ex inſigni & præclaro Antiquitatum Danicarum theſauro, illuſtris & generoſi Dn. *CHRISTIANI FRISII* de Kragerup, Reg. Majeſt. Cancellarii Magni, equitis aurati, & Academiæ Regiæ quæ Hafniæ eſt Conſervatoris ſupremi (ex latebris tamen veteris cujusdam, in patriâ meâ Cimbrica cherſoneſo, bibliothecæ antea erutum) autographum quo uſi ſumus, ad nos perveniſſe,

Difficultates in Faſtis cõpletis enucleandis occurrentes.

Verùm cùm inter alia nonnulla hoc negotium concernentia, meæ curæ & hocce κειμήλιον tradidiſſet, haud pauca mihi tum in literaturâ Runicâ non uſque adeo exercitato, quæ difficilem & arduam impoſitam provinciam reddebant, occurrere animadverti, quæ haſtam abjicere, & à propoſito deſiſtere vehementer ſvadebant. Licet enim ductibus literarum nitidis ſatis & elegantibus, conſignata omnia cernerem: contraxerat tamen membrana ob vetuſtatem lacunas haud paucas, in quibus non literæ ſolum, ſed & integræ ſyllabæ deſiderabantur.

Membrana in qua conſignati erant diſſecta.

Rerum quin etiam ſeries diſtracta & divulſa, non leve negotium mihi faceſſebat, omnia difficiliora reddendo, animumque in varios opinionum anfractus diſtrahendo. Primitus namque in una continuâ membranâ exaratos hoſce fuiſſe Faſtos, demum animadverti, quæ nexu artificioſo ita complicata erat, ut altera facies integræ membranæ Menſes omnes per ſuas plicaturas ordine diſpoſitos exhiberet: altera vero Chronologiam & ea quæ feſtorum mobilium concernunt inventionem. Jamvero diſſecta & in libelli formam redacta, non ſine rerum divulſione & eorum quæ maximè cohærere debebant inſigni diſtractione, ad meas pervenit manus.

Idiomatis ratio.

Et quamvis primo intuitu ad dialectum Selandicam vel Scanicam ſtylus accedere videatur, cum vetuſtis tamen legum Cimbricarũ codicibus collatus, quò ad voces & orthographiam ab iis non diſcedere, apparebit. Quod infinitis locutionũ for-

formulis, aliisque infallibilibus Orthographiæ indiciis, ad oculum demonſtrare non usque adeò foret operoſum. Idq; unâ mecum fatebituris, qui inſigniores idiomatis varietates, in his oris obſervavit. Tantum certè antiquiſsimum idioma, à medio (quo hi faſti exarati conſpiciuntur) diſtat, quantum hoc à moderno. Quòd qui non animadverterit, fruſtra de talibus ſibi cenſuram arrogaverit.

